


IN EPISTOLAM PAVLI AD PHILEMONEM, & in historiam ESTHER Commentarioli.

AVTORE IOANNE BRENTIO.

ANNO M. D. XL IIII.

ORNATISSIMO VIRO D. MATERNO VVVRTZELMAN γραμματεῖ Hallensi, domino & amico chariſſimo,

S. DD.

VIDEMVR FORTASSIS inepte facere, Ornatiſſime Vir, nõ tam q̃ hos duos libellos, Epiſtolã Pauli ad Philemonẽ, & hiſtoriolã Eſther, noſtra dedicatiõe coniungamus, q̃ q̃ eos noſtra explanatiõe interpretemur. Nõ ſolum em̃ diuerſi ſunt argumẽti, ſed nec in eodẽ Canonicorum librorum ordine continentur, quippe q̃ illa noui, hæc autem ueteris Teſtamenti libris annumere

tur. Sunt & libelli tam perſpicui, ut ſi quis eos ſuſcipiat explicandos, nihil aliud facere uideatur, q̃ ſoli lumen inferre. Etſi enim de Aſſuero in Eſther dubitatum eſt, quis Perſicorum regũ hoc nomine dictus ſit, tamen Clariſſimi uiri D. Martinus Lutherus, & D. Philippus Melanthon præceptores noſtri, in Chriſto obſeruandiſſimi, quorum iudicium & nos ſecuti ſumus, perſpicue indicarunt in ſuis χρονικοῖς, hunc Aſſuerum eſſe Δαρεῖον filium Hyſtaſpis, qui ex hinnitu equi Rex electus eſt. Quare nõ deerunt forte, qui noſtrã operam ut ineptam, ita ſuperuacaneam arbitrabuntur. Sed quod fecimus, nec inconſulte nec temere fecimus. Nam in Epiſtola, quæ ad Philemonem ſcripta eſt, laudat Paulus Phi-

Philemonem, quod uiſcera Sancto rum refocillauerit, quæ eſt laus mag na & excellens: in Hiſtoriola autem Eſther laudatur Eſther, quod expo/ ſuerit ſe diſcrimini uitæ ſuę, ut quan tum in ipſa eſſet, Eccleſiam Domini ſeruaret. Ornatur & Mardochæus hoc prȩconio, ꝙ magnam conſeruã dę Eccleſiæ curam ſuſceperit, & ut ſcriptura loquitur, bona populo ſuo quæſiuerit, ac ea quæ ad pacem ſemi nis ſui pertinerent, fecerit. Quare, cũm multis argumentis cognoueri mus te maximo iuuandę Eccleſię ſtu dio incenſum eſſe, ac omnia conſilia, etiam in politicarum rerum admini ſtratione eo referre, ut ſalus Eccleſiæ promoueat, uiſum eſt nobis, hos du os libellos Commentariolis noſtris utcunꝙ illuſtratos, nomini tuo dedi

care, ut hac occasione ageremus tibi, pro officijs tuis publico nostræ Ecclesiæ nomine gratias, & obtestaremur te, ut in eo quod pia uoluntate suscepisti, constanter pergas. Non sunt nobis ignota prudentum in hoc seculo hominum iudicia, qui cum tantum priuatæ suæ rei studeant, existimant summam esse stulticiam, se omnesq; suas fortunas, propter homines, nescio quos, dicentes se esse membra Ecclesiæ Christi, miserrimos autem & abiectissimos, multis ac magnis periculis exponere. Potẽtia, inquiunt, Dei in conseruando populo suo maior est, quam ut indigeat hyperaspista. Sed hi næ sapiendo, faciunt ut omnino desipiãt. Nã quæ in his terris regio, quæ ciuitas, magis patria nostra cendenda est,

quam

quam Ecclesia Christi. In illis nasci mur ad miserias potius, quam ad fœ licitatem, et magis ad mortem, quam ad uitam: in hac autem renascimur ad ueram & perpetuo fœlicem uitã, ac renascimur ciues cœlestes. Nihil uero unq̃ honestius iudicat ũ est, q̃ patriam conseruare, adiuuare, & au gere. Quod officiũ tanti etiã æstima runt hi, qui a uera religione alieni fu erũt, ut illis, qui id patriæ præstitis sent, tribuerint certũ in cœlo ac defi nitum locum, ubi beati æuo sempi terno fruantur. Sic enim apud Cice ronem Scipio loquitur. Quare, ut cunque de hac re sentiant hi, qui sibi sapientes uidentur, certe nihil præcla rius est, q̃ studio & officio suo de Ec clesia Christi, quantouis etiam perí culo bene mereri. An stulte feciſſe

dicendus est Christus filius Dei, q̄ maluerit se turpissimæ morti obijce re, q̄ Ecclesiæ opem suam non por rigere? Magna scilicet sapiētia est, pe ricula in terris, pericula in mari adi re, ut humanis cupiditatibus satisfi at. Insipientia aūt, se pro populo Dei in periculū capitis, atq̄ in uitę discri men inferre. Sed enim nulla certior est ratio, qua maxima quæq̄ pericu la propulsari possint, q̄ Ecclesiam Dei in periculo non deserere. Hieri chontina mulier accepit maximo om nium rerum suarum discrimine ex ploratores populi Dei hospitio, sed tantum abfuit, ut interiret, ut non so lum sibi ac familiæ suæ consecuta sit salutem, uerum etiam relata sit in Ge nealogiam Christi filij Dei, hoc est, in nobilitatem longe omnium illu

strissi

ſtriſſimam. Memorabilis eſt cohortatio Ioab ad fratrem ſuum. Eſto, inquit ille, uir fortis, & pugnemus pro populo noſtro, et ciuitate dei noſtri. Dominus autem faciat, quod bonũ eſt in conſpectu ſuo. Et uocabatur quidem Ioab in extremum periculũ, ſed quia pugnauit pro populo Dei, reportauit clariſſimam uictoriam. Deus tuetur ſine dubio Eccleſiam ſuam, ut mirabiliter, ita & potentiſſime. Nemo, inquit, rapiet oues meas de manu mea. Sed uult, ut homines, ac præſertim hi, qui ſunt præcipua pars magiſtratus, officijs ſuis ipſum in hac curatione & adminiſtratione, quaſi adiuuent. Nam, quemadmodum in tradenda uera in Deum fide, etſi Spiritus ſanctus non indiget humano auxilio, exigit tamen huma

num ministerium, & instituit Apostolos ac pastores, ut per eorum doctrinam animi piorum imbuantur fide. Θεοῦ γὰρ ἐσμὲν συνεργοί. ita solus quidem Deus defendit Ecclesiam suam, sed ut etiam homines suum faciant officium, uult ut sint ipsius cooperarij. Quis, obsecro, maiores habet diuitias, quis melius potest egestatem pauperum & peregrinorum suis opibus sustentare, quam Deus, cœli & terræ Dominus? Facit iudicium, inquit scriptura, pupillo & uiduæ, amat peregrinum et dat ei uictū atq; uestitum. Et tamen addit: Amate & uos peregrinos. Et: Præcipio tibi, ut aperias manum tuam egeno & pauperi. Ecclesia autem agit in terris uere peregrina, & inter extraneos egentissima. Nullū igit officiū Deo

acce

acceptius præstari potest, q̃ ut in conseruanda Ecclesia coniungas cũ ipso tuã operã. Age uero, quæso te, quanta laus est, uicariũ esse Principis aut Monarchæ huius terræ? at si susceperis curam populi Dei, non iam curatores hominis, sed uicarius Dei, q̃d cognomen, etsi Pontifices sibi tribuerunt, tñ cũ hi opprimãt potius Ecclesiam, q̃ tueant eam, ad eos solos pertinet, qui in defendenda pro sua uirili Ecclesia suscipiunt partes Dei. Christus affirmat eũ non perditurũ mercedem suã, qui poculũ aquę frigidæ tñ dederit discipulo suo. Quãta igit mercede cõpensabuntur plura & maiora beneficia? Partes enim iuuandi populi Dei non in angustum coactę sunt, sed patent latissime. Iuuatur populus Dei diligẽti publicę tranquillitatis conseruatione. Iuuatur graui

& ſeuera politicæ honeſtatis cuſtodia. Iuuatur pia egenorum curatione. Iuuatur liberali erga ſtudia bonarum literarum fauore, & quod præcipuum eſt, iuuatur fideli ſynceræ doctrinæ Euangelij patrocinio. Huc enim omnis omnium hominum conatus, ſtudium & labor diri gi debent. Cum igitur, Ornatiſſime Vir, reipſa nobis perſpectum ſit, curam tuendæ Eccleſiæ & conſeruandæ piæ doctrinæ apud te excubare, iudicamus te cultum præſtare Deo gratiſſimum, & precamur Deum, ut magis ac magis excitet in te ſyncerum amorem Euangelij, ac efficiat, ut quod hactenus ſtudioſiſſime feciſti, poſthac ardentius facias. Qua in re, ut ſperamus non defuturam tibi diuinam clementiam, ita non dubi

tamus,

bitamus, quin pro pietate tua ſemper ſis hanc uoluntatem habiturus. Bene ac fœliciter uale. Ex Hala Sueuorum, Menſe Ianuario.

ANNO M. D. XLIII.

Ioannes Iſenmannus
& Ioannes Brentius
collegæ & miniſtri
Eccleſiæ Hallenſis.

ΠΡΟΣ ΦΙ

ΛΗΜΟΝΑ ΕΠΙΣΤΟΛΗ ΠΑΥΛΟΥ.



ΛΥ λΘ δέσμιΘ Χεισοῦ Ιη σοῦ, καὶ ΤιμόθεΘ ὁ ἀδελφὸς, Φιλήμονι τῷ ἀγαπητῷ καὶ συνεργῷ ἡμῶν, καὶ ἀπφίᾳ τῇ ἀγαπητῇ, καὶ ἀρχίππῳ τῷ συστρατιώτῃ ἡμῶν, καὶ τῇ κατ' οἶκόν σου ἐκκλησίᾳ.

Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ θεοῦ πατρὸς ἡμῶν, καὶ κυρίου ΙΗΣΟΥ Χεισοῦ. Εὐχαριστῶ τῷ θεῷ μου, πάντοτε μνείαν σου ποιούμενος ἐπὶ τῶν προσευχῶν μου, ἀκούων σου τὴν ἀγάπην, καὶ τὴν πίστιν, ἣν ἔχεις πρὸς τὸν κύριον ΙΗΣΟΥ̃Ν, καὶ εἰς πάντας τοὺς ἁγίους, ὅπως ἡ κοινωνία τῆς πίστεώς σου ἐνεργὴς γένηται ἐν ἐπιγνώσει παντὸς ἀγαθοῦ, τοῦ ἐν ὑμῖν εἰς Χεισὸν Ιησοῦν. Χάριν γὰρ ἔχομεν πολλὴν καὶ παράκλησιν ἐπὶ τῇ ἀγάπῃ σου· ὅτι τὰ

τὰ σπλάγχνα τῶν ἁγίων ἀναπέπαυται διὰ σοῦ ἀδελφέ. πολλὴν ἐν Χριστῷ παῤῥησίαν ἔχων ἐπιτάσσειν σοι τὸ ἀνῆκον, διὰ τὴν ἀγάπην μᾶλλον παρακαλῶ, τοιοῦτος ὢν, ὡς Παῦλος πρεσβύτης, νυνὶ δὲ καὶ δέσμιος Ἰησοῦ Χριστοῦ. παρακαλῶ σε περὶ τοῦ ἐμοῦ τέκνου, ὃν ἐγέννησα ἐν τοῖς δεσμοῖς μου, Ὀνήσιμον, ὃν ποτέ σοι ἄχρηστον, νυνὶ δέ σοι καὶ ἐμοὶ εὔχρηστον, ὃν ἀνέπεμψα. σὺ δὲ αὐτὸν, τοῦτ' ἔστι, τὰ ἐμὰ σπλάγχνα προσλαβοῦ, ὃν ἐγὼ ἐβουλόμην πρὸς ἐμαυτὸν κατέχειν, ἵνα ὑπὲρ σοῦ μοι ἐν τοῖς δεσμοῖς τοῦ εὐαγγελίου, χωρὶς δὲ τῆς σῆς γνώμης οὐδὲν ἠθέλησα ποιῆσαι, ἵνα μὴ ὡς κατὰ ἀνάγκην τὸ ἀγαθόν σου ᾖ, ἀλλὰ κατὰ ἑκούσιον. τάχα γὰρ διὰ τοῦτο ἐχωρίσθη πρὸς ὥραν, ἵνα αἰώνιον αὐτὸν ἀπέχῃς, οὐκέτι ὡς δοῦλον, ἀλλ' ὑπὲρ δοῦλον, ἀδελφὸν ἀγαπητὸν, μάλιστα ἐμοί. πόσῳ δὲ μᾶλλον σοὶ καὶ ἐν σαρκὶ καὶ ἐν κυρίῳ; Εἰ οὖν ἐμὲ ἔχεις κοινωνὸν, προσλαβοῦ αὐτὸν ὡς ἐμέ. εἰ δέ τι ἠδίκησέ σε, ἢ ὀφείλει, τοῦτο ἐμοὶ ἐλλόγει. ἐγὼ Παῦλος ἔγραψα τῇ ἐμῇ χειρί. ἐγὼ ἀποτίσω. ἵνα, μὴ λέγω σοι, ὅτι καὶ σεαυτόν μοι

φιλοσοφείλεις. ναὶ ἀδελφέ. ἐγώ σου ὀναίμην ἐν
κυρίῳ, ἀνάπαυσόν μου τὰ σπλάγχνα ἐν κυρίῳ,
πεποιθὼς τῇ ὑπακοῇ σου ἔγραψά σοι. εἰδὼς,
ὅτι καὶ ὑπὲρ ὃ λέγω, ποιήσεις. ἅμα δὲ καὶ ἑτοί-
μαζέ μοι ξενίαν. ἐλπίζω γὰρ, ὅτι διὰ τῶν πρ-
σευχῶν ὑμῶν χαρισθήσομαι ὑμῖν. Ἀσπάζονταί
σε Ἐπαφρᾶς ὁ συναιχμάλωτός μου ἐν Χριστῷ
Ἰησοῦ, Μάρκος, Ἀρίσταρχος, Δημᾶς, Λουκᾶς,
οἱ συνεργοί μου. ἡ χάρις τοῦ κυρίου ἡμῶν
Ἰησοῦ Χριστοῦ μετὰ τοῦ πνεύ-
ματος ὑμῶν.

Ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης διὰ Ὀνησίμου
οἰκέτου.

IN EPI-

STOLAM PAVLI AD PHILEMONEM.

QVod per Christū Dominum nostrum fœliciter succedat, interpretabimur Epistolam Pauli ad Philemonem, quæ breuis quidē est, si uerba numeraueris, sed magna, si sententiarum pondus consyderaueris. Fuerunt autem nōnulli, quemadmodum testantur Chrysostomus & Hieronymus, qui autoritatem huius Epistolæ idcirco eleuarunt, ꝙ Paulus non tractet in ea dogmata religiōis, sed tantum scribat pro seruo fugitiuo, & reconcilieteum dño suo. Quę cū sit res priua

ta, senserũt hanc Epistolam indignã esse, quæ publicę in Ecclesia legatur: Non enim potuisse hoc tempore, quo hæc Epistola scripta est, dici de Paulo. Viuo iam non ego, sed uiuit in me Christus. Qui aũt sic de Paulo & hac Epistola senserunt, nę illi perspicue significarunt, se nec uere intelligere uim religionis nostræ, nec sectatos esse ueram pietatem, sed meram hypocrisim. Etsi enim Paulus non docet in hac Epistola doctrinam fidei, quemadmodum in Epistola ad Romanos & ad Galatas, nec uidetur publica Ecclesiæ negocia tractare, proponit tamen in se uniuersæ Ecclesię eximiũm charitatis exemplum. Et est epistolion uere Apostolicum. Hoc enim est Apostolorum Euangeli

gelion, quod Iesus Christus uenerit in hunc mundum, ut peccatores saluos faceret. Non enim opus habent hi, qui ualidi sunt, medico, sed qui male habent. Docent præterea Apostoli, & sicut Christus humanissime & clementissime complexus est nos miseros, abiectos, & damnatos peccatores, ita debeamus etiam nos humaniter complecti homines extremæ sortis. Extat aũt huius rei pulcherrimum in hac Epistola exemplum. Paulus enim tanta humanitate & beneuolentia complectitur seruum, eumque fugitiuum & furem, tanta & suauitate reconciliat eum domino suo, ut admirari quispiam posset, quomodo Paulus tam dulces, tamq; suaues cogitationes in uinculis, in carcere habue

Epistola ad Philemonem uere Apostolica.

Charitatis exemplum

rit. Quod ut intelligamus, recitabi mus seu occasionem, seu argumentum huius Epistolę.

Philemon.

Philemon uir diues fuit, & ut apparet, non abiectæ inter suos dignitatis. Sentiũt autem eum habitasse, aut in Colossis, aut in Laodicea, q̃ sunt urbes Phrygiæ. Et hanc coniecturam sumunt ex Epistola ad Colossenses, in qua Paulus facit mentionem Archippi, quem in huius Epistolæ inscriptione cõiungit cum Philemone. Hic Philemon didicit, doctore Paulo, Euangeliõ Christi, ac non solum dedit nomen suũ Christo, uerumetiam multa contulit beneficia ad Ecclesiam Christi. Porro, is Philemon habuit in familia sua seruũ, nomine Onesimon. Fuit autẽ eo tempore longe alia cõditio

ditio seruitutis, q̃ nunc est in Germa nia. Erat enim dominis potestas uitæ ac necis in seruos, & quicquid per seruum acquirebatur, domino acquirebatur: ac tãta fuit seruorum uilitas, ut magis pro iumentis q̃ pro hominibus haberentur. In tali cõditione fuit & Onesimus, qui etsi non inhumaniter nec crudeliter a Philemone, nimirum homine Christiano, tractabatur, fugit tamen rebus quibusdam furto secum ablatis. Audis duo magna crimina. Alterum, fuga, quæ & ipsa est furti aut rapinę genus in seruo: alterum, furtum rerum domini sui. Cum autem hunc seruum pœniteret postea scelerum suorum, uenit Romam ad Paulum captiuum, quem sciebat familiarem fuisse domino suo Philemoni, & au

Seruis.

dit Euangeliõ Christi, ac resipiscit, acceptisq; a Paulo commendaticijs literis, redit ad Philemonẽ dominũ suum. Audiemus igitur in hoc epistolio, quãta humanitate Paulus susceperit seruũ, & furem, sed pœnitentem, quanta itẽ diligentia & suauitate studeat eum dño suo reconciliare. Scribit aũt hoc Epistolion e Roma, ad quam ductus fuerat captiuus, quẽ admodum testantur Acta Apostolica.

PAVLVS VINCTVS IESV CHRISTI &c.)

Obsecro, quid uult sibi hoc epitheton, Vinctus Christi? Nũ Paulus gloriatur de captiuitate, quæ alioqui solet esse infamis? Aut cur nõ potius dicit: Vinctus Iudęorꝝ, Vinctus Cæsaris, quam IESV CHRISTI

Vinctus Christi quid sit?

STI? Captus em̃ erat a Iudęis, quem admodum ſcriptum eſt in Actis Apoſtolicis cap. xxi. & traditus tribuno, qui miſit ipſum Romam uinctũ ad Cæſarem. Quid igitur eſt, q̃ uocat ſe uinctum Chriſti, & non potius uinctũ Cęſaris? Hic nobis diligenter in Paulo obſeruandum eſt, quomodo conſyderandæ & aſpiciendæ ſint afflictiones, quæ nobis accidunt. Non em̃ conſiderandum eſt, per q̃s homines nobis accidant, ſed quo præcipue autore, & cuius rei gratia, ac in quem finem accidant. Accidunt autem nobis afflictiones, autore DOMINO DEO noſtro. Nam ſi non cadit unus ex paſſerculis in terram, ſine patre noſtro cœleſti, & ſi etiam omnes pili capitis numerati ſunt, multo mi

Afflictiones Deo autore accidunt

nus cadunt ſuper nos aduerſa ſine Deo, et nihil certius eſt, q̃ omnia uitæ noſtræ momenta coram Deo numerata eſſe. Accidunt autẽ aduerſa nobis, uel nocentibus, ut reſipiſcamus. Nolo enim, inquit, mortẽ impij, ſed magis ut cõuertatur et uiuat: uel innocẽtibus propter Chriſtum, aut propter iuſticiã, ut probemur, et maiora commoda accipiamus. Beati, inquit, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam illorum eſt regnum cœlorum. Beati eſtis cum probra iecerint in uos homines &c. Itaq̃, ſi in afflictionibus reſpiciamus autorem Deum, & ſententiam ſpiritus ſancti, facile retinebimur in officio obedientiæ. Manifeſtum em̃ eſt ex uerbo Dei, q̃ multæ ſint miſerationes Dei, quẽ

quemadmodum Dauid loquitur. Et Esaias: Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. Si uero respiciamus absq; fide, organa, quibus immittuntur nobis afflictiones, uidelicet homines, & crudelitatem eorũ, fieri non potest, quin commouearmur, & excitemur ad peruersos animi affectus. Vertamus igitur oculos nostros in autorem Deum et uoluntatẽ eius, ut constemus in officio obedientiæ. Sic Ioseph respexit Deum autorem in suis calamitatibus, in quas a fratribus coniectus erat. Non uestro, inquit, consilio, sed Dei uoluntate huc missus sum. Sic Iob ait: Dominus dedit: Dominus abstulit. Et tamen abstulerant ei omnia bona hostes, ac Satan

Genesis. 45

ipſe. Sic & Dauid, cum maledicere tur a Simei. Sinite, inquit, Domi
2. Reg 16. nus præcepit ei, ut malediceret Da uid. Sic & hoc loco Paulus uo cat ſe uinctum Chriſti, non Cæſa ris, quia uinctus erat autore Deo, p pter CHRISTVM. Hæc uincula maior coram Deo gloria fuerunt, quam regium huius ſeculi diadema. Quare, cum Paulus tribuit ſibi hoc epitheton ſeu cognomen, perſpicue ſignificat animum ſuum plenum eſ ſe fide, e qua conſyderet uincula, non qualia apparent in oculis im piorum hominum, ſed qualia habe antur in oculis Dei.

ET TIMOTHEVS FRATER)

Etſi Paulus in hoc Epiſtolio ſo lus cum Philemone colloquitur, non dedignatur tamen ſibi in inſcri

ptio

ptione Timotheum ſocium adiungere, id quod etiam facit in Epiſtola ad Coloſſenſes, & Theſſalonicenſes. Obſeruabile exemplum, quo docemur, ut unuſquiſque alterius honori faueat, & quoquomodo poteſt, adiuuet. Natura enim noſtra ita uitiata eſt, ut exiſtimemus alienum honorem eſſe noſtrum opprobrium, et alienum commodum eſſe noſtrę incommodū. Itaq; fieri ſolet, ut inuidia, amarulentia, auaritia & alijs id genus affectibus excæcati, alienam gloriam obſcuremus, & aliena cōmoda impediamus. Paulus autem monet nos ſuo exemplo, ut alter alterius honori & cōmodo ſtudeamus. Timotheus, iuuenis erat. Nemo, inquit, iuuentutem tuam deſpiciat. Paulus autem ſenex, *inuidia.*

non tamen inuidet honori iuuenis: ſed ſecum in altum, quoquomodo poteſt, euehit. Vt enim in humano corpore, ſi uni membro acciderit cõ modum, non eſt detrimentum ſed potius utilitas aliorũ membrorum: ſic & inter homines prę ſertim Chri ſtum agnoſcentes, qui ſunt eiuſdem corporis membra, proximi honor & commodum, proximo in bonum cedit. Et præcepit Dominus, ut di ligamus proximum, ſicut noſmetip ſos, quo præter alia, etiam hoc exi gitur, ut alter alterius honori & utili tati, ſicut ſuæ ipſius faueat. Non præcepiſſet autem hoc Deus, ſi nõ ſingulis in bonum cederet. Qua re, etſi impij, & inuidi: Cain, Eſau, fratres Ioſeph, & Saul, multo aliter iudicent, tamen iudicium ſpiritus

ſancti

ſancti longe præferendum eſt om nium hominum iudicio.

PHILEMONI DILECTO ET COLLEGAE &c.)

Sicut Paulus adiungit ſibi ſociū Timotheum, ita adiungit etiam Phi lemoni ſuos ſocios, Apphiam, uxo rem eius, ut puto, et Archippum, ac totam domeſticam eius Eccleſiam. Eccleſiæ, inquit, quę domi tuæ eſt. Non inſtituemus nunc diſputatio nem de Eccleſia, de qua alias copio ſe diximus, ſed hoc tantum libet mo do commemorare, quod Eccleſia Chriſti dicatur non ſolum publica hominum congregatio in templo, ſed etiam priuata & domeſtica fami lia credentium in Chriſtum. Cum enim Chriſtus iuſſerit Apoſtolos prædicare Euangelium ſuū in uni

DE *Archip po. Colo. 4.*

Eccleſia domeſtica

Definitio Ecclesiæ ex Paulo. Locorum & numero credentium

uerso orbe terrarum, inter omnes gentes, non concluſit ~~Eccleſiam ſuã in unum locũ, nec definiuit eã certo~~ numero, ſed ubicunq; prędicat et agnoſcitur Chriſtus, ~~ſiue in tẽplo inter multos, ſiue in domo inter paucos, ibi eſt Eccleſia Chriſti~~. Multũ autem prodeſt nobis, ut priuatę domus ſeu familię habeãt etiã appellationẽ Eccleſię. Primum em̃, hoc cognomẽ admonet unãquamq; familiam honeſtatis uitę ſuę. Sicut em̃ in publica hoim Eccleſia, non ſolent peragi, niſi ſacra et cultus Dei. Non fiunt ibi helluationes, non deſignantur manifeſte publica ſcelera, ſed ſua obſeruatur honeſtas, ita in priuatis domibus nihil turpe uel dicendum uel faciendum eſt, ſed ita ducẽda eſt uita, ut ſentiamus nos uerſari

intem

in templo Dei, & ſemper patere diui no conſpectui. Deinde confirmat hoc cognomen etiam fidem noſtrã in domeſticis afflictionibus. Nam, quod Deus de templo Hieroſolymitano dixit: Erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus, hoc idem intelligendum eſt, dici de unaquaq; priuata domo, in qua habitat Chriſtiana familia. Vos enim, inquit Paulus, eſtis templum DEI uiuentis, quemadmodum dixit DEVS: Inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus. Solent autem patribus familias uariæ afflictões in domibus ſuis accidere, quarum DEVS non ſolum eſt potens autor, uerumetiam propitius ſpectator, qui & ex fide inuocatus, nequit iuxta

3. Reg. 9.

2. Corin. 6.

pactum ſuum in Chriſto, ſeſe conti nere, quin afflictum adiuuet, ac ſer uet. Cognomẽ igitur Eccleſię, quod priuatę domui tribuitur, excitet affli ctum, non ad execrationem, & uiru lentiam, ſed ad piam orationem, cer ta fiducia concepta, quod Deus non minus audiat & exaudiat talem ora tionem, in priuata domo, q̃ ſi publi ce fieret inter multas hominum my riades.

GRATIA VOBIS ET PAX &c.

Gratia. Solennis Pauli ſalutatio, & pre catio. Gratia & pax. Nec poſſet Pau lus his, ad quos ſcribit, maiora & meliora bona optare. Gratia enim Dei, eſt fauor, quo Deus pater com plectitur homines propter Chriſtũ.

Pax. Pacis autem nomine comprehen duntur omnia beneficia, quæ Deus con

confert ad homines, ex fauore ſuo propter Chriſtū. Pax enim Hebręo more ſignificat bonã fortunam ſeu bonã ſalutem. Hęc ſunt maxima, & ſola ſufficientia bona. In humanis ſeu precationibus ſeu optionibus, alius ſolet optare ſanitatem, alius diuitias, alius potentiam. Et quẽadmodum uiatores itinere defeſſi, fere nunquam optare ſolent, ut totum iter, ſed tantum ut aliquam itineris partẽ emenſi eſſent, ita homines non tam bene ſibijpſis fauere ſolent, ut ſibi perfecta & ſufficientia bona optẽt. Paulus autem optat Philemoni & Eccleſię eius bona uere perfecta, & omnino ſufficientia, dum optat eis gratiã Dei & pacẽ. Quem enim Deus ſuo fauore complectitur, & cum Deo eſt pacificatus ſeu recõciliatus, is nõ

ſolum conſeruatur in oĩbus aduerſis, uerumetiã cõſequit omnia bona. In Pſalm. iĳ. dicitur: Non timebo centum millia populorum, qui in circuitu locauerunt ſe contra me, quia Dominus ſuſtẽtat me. In Pſal. v. Quoniã tu Dñe benedices iuſto, coronas eũ beneuolentia uelut ſcuto. Vides gratiam ſeu beneuolentiã Dei eſſe tanq̃ ſcutum. Et ad Rom. viĳ. Si Deus pro nobis quis contra nos? Ad Paulũ quoq; ipſum dicit Dominus: Sufficit tibi gratia mea, hoc eſt, etſi affligeris, & neceſſe habes in afflictiõe diutius perdurare, tamen nihil tibi deeſt, ſed ſufficientia habes bona, q; complectar te gratia & fauore meo. Diligo te. Faueo tibi. Quid amplius requiris? Quare ſummo ſtudio contendendum eſt, ut Deus

ut Deus nobis faueat, et sit clemens, id quod fiet, si audito Euãgelio credamus in Christum, et ambulemus in uocatione Dei ex fide. Non enim est aliud nomen sub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri, prꝛterquam Iesus Christus. Et: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam.

GRATIAS AGO DEO &c.)

Paulus deprecaturus pro seruo fugitiuo, spargit ab initio Epistolæ usqꝫ ad finẽ semina argumentorꝝ, qꝫ bus pſuadeat Philemoni, ut recipiat seruũ Onesimum in gratiã. Non enim argumentatur in hac Epistola, sed tantum exponit animi sui sententiam, sed ita exponit, ut pene sin-

gula uerba, singula sint argumẽta, si explices, suasoria. Semper, inqt, mentionem tui facio in precibus meis. Hoc certe aptum argumentũ est persuadendi. Ego semper cõmendo precibus meis salutem tuam Deo, & oro pro te Deum. Permitte igit mihi, ut & te orẽ pro seruo tuo. Spero Deum meas preces pro te exaudire. Exaudias igitur & tu me pro seruo tuo deprecantem, ne si tu abijcias meas preces pro seruo tuo, Deus abijciat etiam eas preces, quas pro te & tua salute effundo. Quid autem est, quod dicit, SEMPER? Quis semper & sine intermissione orare potest? an non Paulus dormiuit aliquoties? an non meditatus est nõ nunquam uel cõcionem, uel Epistolam, quo certe tempore non potuit memi

orare semper quid sit?

meminisse Philemonis? Quomodo ergo dicit: Semper mentionem tui faciens, in precibus meis? Scriptores Ecclesiastici tradunt quondã fuisse Psallianos, q̃s & εὐχίτας uocarũt, q̃ cũ Christus dixisset: Oportet semper orare, & non defatigari: & Paulus: Sine intermissione orate, nullum tempus intermiserunt, quo non etiam ore, & externis uerbis orarent. Fuerunt quoq; in Romana religione, collegia quædam sacrificulorum instituta, in quibus noctu diuq; cantabatur et orabat. Sed hęc prorsus sunt superstitiosa, hypocritica, & ut Christus ait, Ethnica. Semp̃ em̃, & sine intermissiõe orare, nõ est externa orationis uerba, continẽter diu noctuq; recitare, sed primum est habere fidem, q̃ Deus sit propi- Euchitæ.

tius propter Christum. Nam qui credit, ꝙ habeat Deum propitium, propter Christum, is semper orare & nomen Domini inuocare dicit̃. Etsi enim aliquoties ne meminit ꝙ dem orationis, præ alijs necessarijs negocijs, aliquoties præ magnitudine doloris & afflictionis, nepotest quidem orationis meminisse, spiritus tñ auxiliatur infirmitatibus
Ad Rom. 8. eius, & intercedit ꝓ ipso gemitibus inenarrabilibus. Hi certe gemitus sunt continua piorum in Christum credentium oratio. Deinde semper & sine intermissione orare dicitur, qui omne studium suum in hoc ponit, ut data quacunque occasione, nomen Domini inuocet, ac miseri cordiam & auxilium Dei imploret. Nam quemadmodũ impij, etsi non

nunꝙ

nunq̃ in præſenti fœlicitate ſunt tranquillo animo, tamen ſemper dicuntur aduerſus Deum fremere & murmurare, quia quocunq; tempore, & quacunq; occaſione acciderit eis afflictio, ſemper execrantur iudicium Dei, ita pñ, etſi interdū tacent, et alijs negocijs uacant tamẽ ſemper orare dicũtur, propterea q̃ quocũq; tempore acciderit eis afflictio, ſemper ſuſcipiant eam obedienter, & implorent in ea auxilium Dei. Et quia Hypocritæ ὑποκριται non habent ueram fidem in Chriſtũ, idcirco nũq̃ orant, etiamſi ſemper orent. Pñ aũt, quia uera fide in Chriſtũ p̃diti ſunt, ideo ſemper orant, etiamſi ore pauciſſima uerba commemorent.

CVM AVDIAM TVAM CHARITATEM ET FIDEM, &c.)

Hæc eſt laudatio, qua Paulus captat beneuolentiam Philemonis, ut præparet ſibi uiam ad deprecãdum pro ſeruo fugitiuo. Commendat autem Paulus Philemonẽ a fide et charitate. Gratias, inquiens, ago Deo meo, cum audio tuam fidem, quam habes erga Dominum Ieſum, & tuam charitatẽ, quam habes erga omnes ſanctos. Non poſſet autem Paulus Philemonem a maioribus et prẽſtantioribus uirtutibus commendare. Nec Philemon potuiſſet unq̃ q̃c quam melius, aut utilius, aut magis neceſſarium facere, quam CREDERE, & DILIGERE. Alĩ ſolent commendari a prudentia, alĩ a potentia, alĩ a bonis corporis, alĩ a bonis fortunę. Heroes cõmendãtur a præclare geſtis in bello. Sunt qui commẽdantur

Fides & charitas, ſummæ uirtutes;

tura miraculis, quæ ediderunt. Alij habuerunt ſpiritum propheticum, a quo commendati fuerunt. Hæc habent quidem magnam laudem & famam coram hominibus, habent & quædam ſuũ uſum in Eccleſia. Sed non ſunt ea, quibus uera conſtat fœlicitas. Sola fides in Chriſtum, & charitas in proximũ, neceſſaria ſunt ad ſalutem. Qui habet has uirtutes, omnia poſſidet. Qui his caret, nihil habet, etiamſi omnium aliarum rerum potiatur. Primũ enim fides in Chriſtum, organon eſt, quo accipitur & poſſidetur Chriſtus. Vbi autem Chriſtus eſt, ibi eſt omnis iuſtitia, ſanctitas et ſalus. Cui enim datus eſt Chriſtus, quomodo non cum ipſo oĩa bona eius data eſſent? Quare per fidẽ fit, ut reputemur corã Deo

iusti,& seruemur. Charitas autem in proximum est qua seruimus proximo, & cõseruamus humanam societatem. Per charitatem igitur fit, ut reputemur iusti coram hominibus. Quid autem optatius, quid excellẽtius, quid fœlicius est, quam iustificari corã Deo & hominibus? Quare nihil est, q̃d superet utilitate sua fidem & charitatẽ. Deinde, cum Decalogus, prẽter hoc, q̃ peccata ex ipso agnoscẽda sunt, propositus etiã sit nobis, ut ad normam, regulam, & præscriptionẽ eius instituamus uitam & opera nostra, non sunt aliæ uirtutes, quæ nos ad obediendũ Decalogo ducunt, quam fides & charitas. Decalogus enim diuiditur in duas partes. Altera præcipit, quid debeamus Deo, altera, quid proximo. Fi-

Decalogus.

des

des autem implet priorem partem, ac ut rectius loquar, fides duplici ratione dicitur implere totum Decalogum, totamq; legē Dei. Vna ratio est, q̄ quia fides accipit Christum, qui est ipsa iustitia, & perfectio legis, accipit etiam in Christo impletionem legis. Itaq; qui credit in Christum, reputatur coram Deo, perinde ac si ipse legem perfecte impleuisset, propterea quod habet in fide sua Christum, qui est legis impletor. Quod lex, inquit Paulus, præstare non poterat, q̄ imbecillis erat per carnem, hoc Deus proprio filio misso sub specie carnis peccato obnoxiæ, præstitit, ac de peccato cōdemnauit peccatum per carnem, ut iustificatio legis impleretur in nobis. Alia ratio est, q̄ quia per fidem datur

Legis impletio.

nobis ſpiritus ſanctus, qui efficit, ut diligamus Deum, & inuocemus nomen eius, ac uerbū eius ſectemur: hæc enim exiguntur in priore parte Decalogi, idcirco dicitur etiã hoc modo fides aliquatenus legem implere. Etſi enim hæc non poſſunt in hac carne perfecte fieri, tamen fides inchoat iſta opera, & quod adhuc deeſt, cõpenſatur per Chriſtum fide acceptum. Charitas autẽ dicitur implere poſteriorem partem Decalogi. Vnde Paulus ad Romanos capite xiij. ſcribens: Qui diligit alterũ, inquit, legem expleuit. Siquidem illa: Non adulterabis, non occides, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces, & ſi quod aliud præceptum, in hoc ſermone ſummatim comprehenditur, nempe, dili-

ges

ges proximum tuum ſicut teipſum. Cum igitur impletio Decalogi pendeat ex fide & charitate, perſpicuū eſt, non eſſe præſtantiores his uirtutes. Multæ quidem ſunt perſonales uocationes, quibus unusquiſq; neceſſe habet ſuo tempore & loco ſeruire, nec cuiq; licet perſonalem alterius uocationem temere inuadere. Ne quis affligatur, inquit Petrus, inter uos, ut ἀλλοτριοεπίσκοπος. Fidem autem & charitatem exercere eſt generalis omnium hominū uocatio. Hæc uocatio tam diſcenda, q̄ facienda eſt per omne uitæ noſtræ tēpus, & orandum etiam eſt, ut Deus ſpiritu ſancto ſuo has uirtutes in nobis ſubinde magis ac magis augeat. Vnde & Paulus ſemper facit mentionē Philemonis in precibus ſuis. Quam

1. Pe. 4.

ob cauſſam? Sequitur.

VT COMMVNICATIO FIDEI TVAE EFFICAX FIAT IN AGNITIONE OMNIS BONI, *Quod* POSSIDETIS IN CHRISTO IESV.

Hoc eſt, ut fides tua, quam nobiſcum communem habes, magis ac magis augeatur, & agnoſcat, quanta bona Chriſtus, qui uobis reuelatus & donatus eſt, ſecum afferat. Ad Coloſſ. ait Paulus: In Chriſto ſunt oēs theſauri ſapiētię ac ſcientię recō diti. Ad Epheſ. dicit: Diuitias Chriſti eſſe imperueſtigabiles. Et ad Corinthios. Quæ oculus non uidit & auris non audiuit. Quid multa? Pater (inquit) omne iudicium dedit filio. Et: Omnis mihi data eſt poteſtas in cœlo & in terra. Vides Chriſtū eſſe theſaurum oīm uerorum, diuinorum,

Coloſſ. 2.

Ephe. 3.

1. Corinth. 2.

Ioannis 5.

norum, ac cœleſtium bonorꝝ. Qui autem accepit Chriſtum per fidem, is etiam accepit hunc theſaurum, & poſſidet eum in Chriſto, qui theſaurus tanto magis agnoſcitur, quanto plus fides creſcit. Quare ſumma dãda eſt opera, tam diligenti auditu ſeu lectione Euangelij Chriſti, q̃ oratione, & exercitio obedientię, ut fides ſua habeat in nobis incrementa, q̃ & cognoſcamus fœlicitatem noſtram in Chriſto, & fruamur ea per CHRISTVM.

GAVDIVM ENIM HABEMVS MVLTVM &c.)

Paulus trãſit pedetẽtim & gradatim a cõmendatiõe fidei et charitatis Philemõis, ad deprecationẽ p̃ Oneſimo. Maxima, inq̃t, affecti ſumus lætitia cum nunciatum nobis eſt, q̃

quoſuis ſanctos qui tua ope indigu erunt, liberaliſſime adiuueris, & mul ta beneficia in ipſos contuleris. Qua re ſperamus nec nos repulſam paſſu ros in deprecatione noſtra pro ſeruo tuo. Etſi autē eam habeo in te auto ritatem, ut poſſem tibi per Chriſtū mandare, ac ſeueriter exigere, quod peto, tamē malo nunc ex charitate ro gare, q̄ ex autoritate imperare. Hic pauca quædam de Sanctis dicenda ſunt. Cum enim Paulus ſupra dixit: Audio charitatem tuā erga omnes ſanctos, & hoc loco ait: Viſcera ſan ctorum refocillata ſunt per te, non eſt ſentiendū Paulum loqui de San ctis mortuis, ſed de Chriſtianis uiuē tibus. Nomē em̄ Sancti, in Eccleſia recens congregata, non fuit nomen tantę arrogantiæ, quantæ nunc iu.

Sancti nomē.

dicą

dicat ab Hypocritis. Omnes Chri-
ſtiani in terra adhuc uiuentes, dicti
ſunt ſancti. Poſtq̃ uero extincta eſt
per doctrinam hypocriſeos, uera ue
ræ ſanctitatis cognitio, ibi tum hoc
nomen translatum eſt ad mortuos
tantum, & ad eos, qui uiſi ſunt ſuis
ipſorum operibus ac miraculis hoc
nomen meruiſſe. Sed de Sanctis ita
ſentiendum eſt, q̃ unus ſolus ſit ſan
ctus, qui ſua natura, ſuoque merito
ſanctus eſt, IESVS CHRISTVS Domi-
nus noſter. Homines autẽ, nec ſunt,
nec recte dici poſſunt Sancti, niſi
quatenus hunc ſanctũ, Ieſum Chri
ſtum agnoſcunt, & fiunt membra
eius per fidem. Non enim imaginã
dum eſt, q̃ Chriſtus in cœlo ſit oci
oſus ſpectator humanarum actionũ
in terris, & q̃ homines poſſint ſuis

uirtutibus mereri, ut iudicẽtur a ſpectatore Chriſto ſancti. Nulla enim humana uirtus eſt, quæ poſſit in iudicio Dei cõſtare, & pro uera ac pfecta ſanctitate iudicari, ſed ſentiendũ eſt, ꝙ hoïes natura ſua ſint prophani, fiant autem ſancti, cum inſerun tur per fidem in corpus Chriſti, & fiunt membra eius. Hic uero iterum conſiderandũ eſt, ꝙ homines Chriſto inſerti, non dicuntur præcipue ſancti, propter innouatiõem, quam facit ſpiritus ſanctus in renatis, ſed maxime omnium propter Chriſtum, fide acceptum. Etſi enim ſpitus ſanctus purgat reliquias peccati in renatis, peccatum tamen ſemper manet in carne & ſanguine uſque ad mortem. Itaque manent renati in ſe ſemper ſordidi ac prophani.

Quare

Quare fiunt ſancti, non innouatione, ſed imputatione, quia cum habeant Chriſtum per fidem, tales iudicantur coram Deo, qualis eſt Chriſtus, qui cum ſit ipſa ſanctitas, reputantur & hi ſancti, qui ſunt membra corporis eius. Ex eodem, inquit Paulus, uos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus eſt nobis ſapientia a Deo, iuſticiaque, & ſanctificatio & redemptio. Cum autem ſolus Chriſtus ſit ſanctitas credentium in ipſum, & Chriſtus ſemper ſuos habeat credentes in hac terra, manifeſtū eſt, q̄ nomen ſancti non pertineat tantum ad mortuos, ſed etiam ad uiuos, ac ſi recte iudicaueris, plane idē ſunt, ſanctus, Chriſtianus, & fidelis, ſeu credens in Chriſtum. Cæterum, cū Paulus dicat hoc loco, ſe ha

bere fiduciam & autoritatem mandã di ac præcipiendi Philemoni, ut co geretur Oneſimo remittere ſuum ſcelus, non tamen uelle hoc tempo re iſta autoritate uti, non importu num uidetur cõmemorare aliquot rationes, quibus Paulus potuiſſet iure & mandandi autoritate a Phile mone exigere, ut ignoſcat Oneſi mo. Res autẽ ſic ſe habebat. Paulus erat Apoſtolus Chriſti, & Concio nator Philemonis. Et Philemon e rat per Paulum conuerſus ad Chri ſtianiſmum. Oneſimus autem fue rat ſeruus Philemonis. Etſi uero O neſimus fugerat, & res quaſdam ſe cum furto abſtulerat, adeoq; domi num ſuum magna iniuria affecerat, tamen reſipuit nunc, & petit ueniã. Potuiſſet igitur Paulus Philemoni

remiſ

remiſſionem huius peccati, magna ſeueritate mandare, & niſi remitteret, pronunciare ipſum reum æternæ condemnationis. Primum enim lex Dei eſt: Dilige proximum tuum ſicut teipſum. Iam, ſi tu ſimiliter peccaſſes, & ageres pœnitentiã, certe ita te diligis, ut magnopere cuperes tibi ignoſci. Ignoſce igitur & tu alteri, qui &ſi ſeruus eſt, uenit tamen et ipſe proximi nomine. Itaq; naturalis lex exigit a te, ut remittas ei peccatum. Deinde, cogita quanta tibi remiſſa ſint a Domino Deo tuo propter Chriſtum. Seruus abſtulit tibi quaſdam reculas & aufugit. Tu autem ſeruus Dei es. Quantis rebus Dei abuſus es, ab ineunte ætate tua? Quoties peccaſti aufugiſti a Domino Deo tuo, & ſuffuratus es ipſi

Remittenda proximo errata.

obedientiã, quam debuisti? At Deus remisit omnia illa tibi, postquam credidisti in Christum. Quare necesse habes, & hoc est mandatum Dei, ut tu uicissim remittas seruo tuo. Nisi enim hoc feceris, Christus nihil tibi proderit. Frustra in Christum credidisti, quippe qui habeas fidem mortuam, hoc est, nullam. Nota est parabola Christi, de seruo, cui cum remissa essent mille talenta, noluit conseruo remittere decem denarios. Et audit: Serue sceleste, totum debitum tibi remisi, cũ obsecrasses me, nonne oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus eram. Et iratus dominus tradidit eum tortoribus. Postremo, Christianus homo necesse habet in omnibus aduersis orare, et Deum inuocare.

Matthæi 18.

re. Non potes autem orare, niſi remittas ſeruo tuo debitum ſuum. Qua enim fronte dices: Remitte nobis debita noſtra, ſi non potes ingenue addere, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris? Quare neceſſe habes ſeruo tuo peccatum ſuum remittere. His & id genus alijs rationibus potuiſſet Paulus uti, & autoritate miniſterij ſui mandare ac imperare Philemoni, ut ignoſcat ſeruo ſuo. Etſi aũt hęc & huiuſcemodi mandata, quæ in nomine Domini exigũt Apoſtoli & miniſtri Eccleſiæ, non habent magnam autoritatem coram contemptoribus DEI, certiſſimum tamẽ eſt, ꝙ qui talia mandata abijcit & contemnit, is abijcit & amittit ſuam ipſius ſalutem. Hæc mandata ex diuino uerbo propoſita, non ha

Mandata diuina quis tueatur.

bent quidem ſecum cataphractos ẽ quites, qui uiolenter etiam nolentes & inuitos cogãt obedire, quales habent mandata Regia in hoc ſeculo. Sed habent ſecum exercitum cœleſtem, patrem, filium, et ſpiritum ſanctum, ac omnes Angelos & ſanctos Dei. Quid hoc exercitu potẽtius? Hæc diuina mandata non afferunt ſemper ſecum ſubitam & repentinam pœnam eorum, qui uiolant ipſa, reuelatum eſt autem & confirmatum miraculis, ꝙ & ſi ira Dei eſt ſera, nunquam tamen non eſt uera aduerſus impios. Si male egeris, inqt Dominus ad Cain, peccatũ in foribus eſt, hoc, eſt etſi peccatũ perpetratum, in præſentia quieſcit, & uidetur impunitum, non tamen manebit diutius tranquillum, quam iudi

cium

cium Domini reuelatum fuerit. Vide mihi exemplum Mosi & Pharaonis. Mose attulit mandatum Dei, quod iubebat Pharaonem dimittere Israelitas. Non habebat quidem Mose externum equitatum, quo tueretur mandatū Dei, sed cū Pharao non obediret, omnes creaturæ conferebant operam suam, ut impietas Pharaonis puniret. Rex Vsia usurpabat sibi ministerium adolendi incensi. Sacerdotes afferebant mandatum Dei, quo p̃ciepibatur Vsiæ, ut non temere uiolaret diuinam ordinationem, sed de sanctuario egrederetur. Quanquam autem sacerdotes non uidebantur habere milites & equites, qui regem ad obedientiā cogerent, cōfestim tamen præsto aderant angeli, & puniebant arrogantē 2. Paral. 26.

& temerarium regem, quia mox lepra percussus est in fronte. Quare, cũ diuina mãdata, quæ afferũtur nobis ex uerbo Dei in publicis concionibus habeant secum cœlestem exercitum, qui tueatur ea, & inferat, uel tandem impœnitentibus æternum supplicium, nihil prius nobis agendũ est, quam ut excipiamus ea summa obseruantia, & obsequamur eis pro nostra uirili.

PER CHARITATEM TAMEN POTIVS ROGO &c.)

Nolo tibi, quod petiturus sum, imperare, p mea autoritate. Sed uolo potius rogare pro Christiana charitate. Cum igitur pauloante cõmorauerimus aliq̃t ratiões, quibus Paulus potuisset imperare Philemoni, ut ignosceret seruo. Videamus nunc

nunc ea argumenta, quibus rogat eum. Non autem expectabis in tam breui Epistola longam argumentorum seriem, & Rhetoricas eorum exornationes, ac amplificatiões. Sed sparguntur hic tantum quædam argumentorum semina, & uno ac altero uerbo indicantur. Rogo, inquit, cum talis sim, nempe, Paulus, Senex, nunc etiã Vinctus IESV CHRISTI. Singula uerba, singula sunt argumẽta suasoria, aut si mauis, precatoria, imo singula uerba, singuli sunt arietes, quibus ueri simile est animum Philemonis prorsus concussum esse. Rogo ego Paulus. Hoc iam merito sufficeret ad persuasionem & impetrationem. Quis enim est Paulus? Apostolus Iesu Christi. Raptus in Paradisum, raptus in tertium

Apostolo quod negatur, Christo negatur.

cœlum: Electum organon Dei: Per quem Deus multa miracula edidit. Quis autem tanto uiro honesta precanti negaret? Si precaretur ea, quæ nõ essent per se factu necessaria, sed indifferentia, mos gerendus esset, quanto magis obtemperandum est, cum precatur ea, quæ Deus exigit, & necessario facienda sunt. Magnũ certe pondus est talium precum in cõspectu Dei. Nam si obsecutus fueris, exaudis precantem Deum. Si negaueris, Deo, nõ homini negas. Ioseph, cum cõprehendebatur a fratribus, rogauit eos uehementissime, ne inferrent ipsi tantam iniuriam, sed cum fratres non exaudirent eũ, reiecerunt non hominis sed Dei preces. Itaq; postea iure afflicti sunt. Quod enim petebat Ioseph, iustum erat,

erat, ac neceſſario faciendum fuerat, etiãſi Ioſeph nullus rogaſſet. Loth deprecabatur uiolentiam, quam ciues Sodomitæ uolebant inferre hoſpitibus, ſed quia repulerunt preces eius, repulerunt Deum ipſum, et perierunt incendio. Quare diſcamus, ꝙcum rogamur ab hominibus de his rebus, quas ex officio & mandato Dei præſtare debemus, ſuſcipiendæ ſint preces non tanꝙ ab hominibus, ſed tanꝙ a Deo. Sequitur: SENEX. Continet & hoc unum uerbum, magnam uim perſuadendi. Senex iam ſum. Senectus autem honoranda eſt. Debes igitur meas iam ſenis preces pro ſeruo exaudire. Lex dicit: Coram cano capite aſſurge, & honora perſonam ſenis. Honorantur autem ſenes, non ſolum detegen- *Senectus honoranda.*

do caput, aut e uia cedendo, sed mul to magis, cum ipsos iusta petentes exaudimus. Sic enim honoratur non homo tantum, sed etiam Deus ipse. Nam cultus Dei est, seni iusta petenti, morem gerere. Deus enim non uidetur extrinsecus, humanis o culis, nec potest per se coli externis & corporalibus manibus. Proposu it autem se conspiciendū in senibus. Etenim, quemadmodum Sol & Lu na, explicant nobis aliquo modo maiestatē creatoris. Inuisibilia Dei, inquit Paulus, æterna uidelicet po tentia & diuinitas eius conspiciunt ab opificio mundi, animaduersa ex operibus, ita & e senectute hominis animaduertitur clemētia & bonitas Dei, qua humanū genus ab incur su Satanæ defenditur. Sunt enim in

nume

numerę afflictiones, quibus uita hominum obnoxia est, & Satan nõ tm̃ spirituali sed etiam corporali hominum saluti ita insidiatur, ut nisi Deus clementer ac potẽter tueretur eos, nullus posset ad senectutem peruenire. Cum igitur uidemus senem & canum hominem, assurgamus in agnitionẽ & contemplationẽ diuinæ bonitatis, & ueneremur Dñm DEVM nostrę in sene, ac sentiamus ꝙ quæ iusta & pia senex a nobis petit, Deus ipse petat. Additur: VINCTVS IESV CHRISTI. Valet & hoc plurimum ad persuasionem. Fauemus natura ipsa captiuis supplicibus, quanto magis fauendum est captiuo propter Christũ. Quod uinctus sum, inquit, propter Euangelion, etiam tuo nomine uinctus sum, quia

prædicaui & tibi Euangelion. Itaq́, si ego tuo quoq́ nomine fero uincula, q̄ iniquum esset, si tu meo nomine non condonares seruo delictum. Hic iterum commendat Paulus uincula sua, tanquam glorioſa, & honorifica, sed dices: Glorioſa sunt si propter Christum & Euangelium eius contingunt, non autem alijs de causis. Recte sentis. Glorioſa sunt, tam coram Deo, quam coram Ecclesia Dei, si propter Christū contingūt. Alia autem uincula, quæ injciunt alicui, uel ꝓpter delicta, uel a latronibus, uel a tyrannis, possunt etiam fieri glorioſa coram Deo, si in Christo perferantur. Hoc enim est artificium Christianorum, ꝙ sciant omnia genera afflictionum, quæ sunt coram mundo abominabilia, sibi ꝓ

Vincula glorioſa quæ?

Chri

per Christum glorioſa & utilia face re. Nam ſi inijciuntur uincula, pro pter delicta ſeu ſcelera, reſipiſce, ag noſce peccata tua, deteſtare ea, & cre de Euangelio, ꝙ remittantur tibi, p pter Chriſtum, & perfer obediẽter, quod tibi legitime infertur, tunc uin cula tua nõ erunt amplius ſupplici a peccati, ſed organa ſalutis. Quod ſi autem uincit te uel latro uel tyran nus iniuſte, agnoſce & hic manum Domini, crede Euangelio, ꝙ Deus ſit tibi propitius propter Chriſtum filium ſuum, qui & ipſe pro te uin ctus fuit, & perſeuera in uocatione Dei, tunc fieri non poteſt, quin & hęc uincula tibi in bonũ cedãt. Itaq; quoquomodo acciderint uincula, ſi credideris in Chriſtum, fient co ram Deo glorioſa.

ROGO AVTEM PRO FILIO MEO, &c.)

Vide, obsecro, quantus sit charitatis affectus in Paulo. Seruum fugitiuum, eumq; furem, sed resipiscẽtem, uocat filium suũ. Habet & hoc uocabulum, maximam persuadendi uim. Non iam tuo seruo, sed meo filio ignoſces peccatum. Quid? Abominareris me deprecantẽ pro meo ipsius filio? Sed unde tam dulcis affectus in Paulo erga seruum fugitiuũ? Certe non nisi e spiritu sancto. Suscipit em̃ Paulus, autore spiritu sancto, talem, quatenus quidem in hac carne fieri potest, affectum erga Onesimon, qualem nouit esse affectum Domini Dei nostri, & omnium angelorum eius erga resipiscentes. Christus ait: Non ueni ad uocan-

Peccator resipiscens, filius DEI.

candos iuſtos, ſed peccatores ad reſi
piſcentiam. Qui autem reſipiſcunt
in Chriſto, eos complectitur Deus
tam paterno affectu, ut adoptet eos
in filios ſuos propter Chriſtū, & iu-
beat totum cœleſtem cœtum pecca
tori de reſipiſcentia gratulari. Gau- Luce 15.
dium eſt in cœlo, inquit, coram An
gelis Dei ſuper uno peccatore re-
ſipiſcente. Quare cum Paulus no
uerit Deum ipſum agnoſcere nunc
Oneſimum reſipiſcentem pro filio
ſuo, haud iniuria ſuſcipit & ipſe, mi
niſter Dei, paternū affectū erga eū,
quo exemplo admonemur, non ſo
lum quomodo & nos debeamus er-
ga peccatores pœnitentiam agen-
tes affici, ſed etiam ut & nos ipſi reſi-
piſcamus ac pœnitentiam agamus,
q̃ & Deus agnoſcat nos filios ſuos,

et omnes Angeli nobis de ſalute noſtra congratulentur.

QVEM GENVI IN VINCVLIS MEIS, &c.)

Facit & hęc circumſtantia non nihil ad perſuaſionem, ꝙ Paulus nõ ijs concionibus, quas habuit adhuc liber, ſed ijs, quas habuit uinctus et captiuus propter Chriſtum, genuerit Oneſimon in Chriſto. Solenne autem eſt Paulo, ꝙ eos, quos conuertit per Euangelion ad fidem in Chriſtum, uocet filios ſuos, a ſe genitos. Miſi ad uos, inquit, Timotheum, qui eſt filius meus dilectus, & fidelis in Domino. Et in eodem loco de Corinthijs ait: Per Euangelion ego uos genui in Chriſto Ieſu. Et ad Galatas: Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in uobis

1. Corin. 4.

Galatas 4.

uobis Christus. Magna hæc est & obseruabilis commendatio ministerij Euangelij. Sunt enim, qui putãt externam Euangelij concionem, cerimoniæ tantum gratia obseruari, & quia humana duntaxat uox auditur, sentiunt haud quaquam spiritũ sanctum per eam dari. Verissimũ quidem est, quod humana uox per se non sit tanti nec momenti nec auctoritatis, ut queat auditori dare spiritum sanctum, & regenerare ipsum, sed Christus cũ ait: Qui uos audit, me audit. Et prædicate Euangelion omni creaturæ. Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit, consecrauit ministerium Euangelij in ordinarium organon, per quod ipse uelit dare spiritum sanctum, & auditorem regenerare. Non pudet me, in

Euangelij externa concio.

quit Paulus, Euangelij. Potentia si quidē Dei est, ad salutem omni credenti. Et Petrus. Renati non ex semine mortali, sed ex immortali, p uerbum uiuentis Dei, & manentis inæternum. Hoc autem est uerbum, q̄d per Euangeliō delatum est ad nos. Quare, etsi Paulus, & alij syncери cōcionatores Euangelij non sunt autores regenerationis & salutis nostrę, sunt tamen ministri eius, & ut alias Paulus ait, συνεργοὶ, hoc est, cooperatores Dei. Itaq̄, quemadmodū Paulus credentes per Euangelion eius in Christum, aptissime uocat filios suos in Christo, ita ad accipiendum & conseruandum spiritum sanctū, syncerę Euangelij cōciones diligentissime sectandæ sunt.

QVONDAM TIBI INVTILI, &c.)

Argu

Argumentum ab interpretatione nominis Oneſimi ductũ. Ὀνήσιμος enim ſignificat εὔχρηστον, hoc eſt, utilem. Hæc igitur eſt ſententia huius loci. Seruus tuus uocatur Oneſimus, hoc eſt, utilis. Et cum apud te adhuc eſſet, ea fecit, quæ minime cõ petunt nomini eius. Non enim fuit tibi Oneſimus, hoc eſt, utilis, ſed inutilis. Abſtulit tibi quaſdã res, & fugit. Hæc inutilia facta, & grauia ſcelera, nec poſſum nec debeo approbare. Nunc autem, quia reſipuit, & renatus eſt in Chriſto, de quo etiam angeli gratulantur, factus eſt tã tibi, q̃ etiã mihi uere Oneſimus, hoc eſt, utiliſſimus. Quare merito debet a te in gratiã recipi. Hoc loco diſcenda eſt modeſtia iudicij de ſceleratis hominibus. Homines e-

Oneſimus quid ſignificet.

nim, ac præsertim hypocritæ, solēt eos, qui semel aut iterum peccarūt, prorsus tanquam Deo & hominibus inutiles, abijcere, ac pedibus etiamnū cōculcare. Sic & Corinthij, eum, qui cum nouerca peccauerat, ita abijciebāt, ut pene perijsset tristicia, & Paulus necesse habuerit eum iterum consolari, ac Ecclesiæ restituere. Cathari & Nouatiani negabāt etiam pœnitentiam lapsis post baptismum. De his autem nunc nō est differendi locus, & extant multa ac præclara scripta aduersus eos. Sed illi hoc loco reprehendēdi sunt, qui lapsos summa inhumanitate & crudelitate, perinde ac si nec Deo nec hominibus amplius utiles essepossent, tractant. Non hoc dicimus, scelera esse approbanda, ac uera est,

Iudicandum & damnandū temere nō est.

Cathari Nouatiani.

q̃ peccator ambulans adhuc in peccatis impœnitenter, recte dicat nec Deo nec hominibus utilis. Nomen em̃ Dei male audit propter ipsum, seu peccata eius. Homines autem q̃bus cum agit contubernium, uel offenduntur, uel si conniueant aut applaudant peccatis eius, puniuntur propter ipsum diuinitus, ut nihil interim dicam, q̃ hominibus etiam a Iijs in rebus, aut furando, aut latrocinando, aut adulterium committẽdo, aut prodendo noceat. Fieri em̃ solet, q̃ Deus affligat aliquoties totam regionem aut totam uiciniam propter unius hominis aut paucorũ sceleratorum impietatem & impœnitentiam. Propter Pharaonis impietatem & crudelitatem afflicta fuit tota Aegyptus. Propter Achan,

qui furatus erat quædam de anathe mate Hierichuntino, afflicti fuere omnes Israelitæ. Hoc certe unicui uis homini in sceleribus adhuc uer santi diligenter cogitandum est, ut quam primum ad pœnitentiam exci tetur. Si enim pestis, si grando, si a lia publica calamitas inciderit, cogi tet sceleratus, se esse tantæ calamita tis autorẽ, ac summam det operam, quo sine omni mora resipiscat. Nũ quid autem, quia talis peccator nec Deo nec hominibus utilis uidetur, ita abijciendus & cõculcandus est, perinde ac si nulla spes salutis eius re liqua esset? Non est nobis nunc ser mo de supplicio, q̃d magistratus sce leratis legitime inferre solet, quanq̃ optandũ est, ut et hoc inter Christia nos, p Christiana pietate mitigetur,

nec

nec est sermo de iusta seueritate uel parentum uel ecclesiastarum, erga eos, qui ipsorum curę cõmissi sunt, sed loquimur de priuatorum hominum conuictu, & societate. Quid enim abijcis tam duriter, tam immisericorditer tuum proximũ? Peccauit, fateor, & est nunc tam Deo, q̃ hominibus inutilis, sed an nõ potest iterum resipiscere, ac fieri & Deo & hominibus utilissimus? Vidisti peccatum, sed nõ uidisti suspiria, non uidisti lachrymas, quas te fortassis dormiẽte, corã Deo ex fide effudit. Da nullas effusas, de eũ impœnitentẽ, patet tñ adhuc ei ianua pœnitentiæ. Quid? tu ne melior es Domino Deo nostro? Hic bonitate sua tolerat sceleratum, & inuitat eum ad pœnitentiam. Tu uero crudelita

Peccata uidisti, suspiria non uidisti;

te tua a pœnitẽtia ipſum abſterres. Tu conſtitiſti fide, inquit Paulus. Ne efferaris animo, ſed timeas. Si enim pergas crudelis eſſe, poteſt Deus te abĩjcere, & illum, ſi reſipiſcat, in gratiam recipere. Venit enim filius hominis, ut ſeruet q̃d perierat. An non & Paulus ipſe quondam, cum adhuc perſequeretur Eccleſiã, uidebatur nec Deo nec hominibus utilis? at factus eſt electum organõ Dei, & uniuerſę Eccleſiæ longe omnium utiliſſimus. Vide mihi & hũc noſtrum Oneſimon, qui & ſi aliq̃ties minime Oneſimus, hoc eſt, utilis fuit, tamen factus eſt teſtimonio Pauli tam domino ſuo, q̃ Paulo ipſi, imo etiam toti Eccleſiæ utilis. Nã occaſione reſipiſcentiæ eius, ſcripta eſt hæc Epiſtola Pauli ad Philemonem.

nẽ. Quam igitur utilitatẽ affert Ecclesiæ hæc Epistola, eius partem uẽdicat etiam sibi iure quodam Onesimus. Quare etsi proximi peccata, pro diuino zelo detestanda sunt, ipse tamen eiuscemodi humanitatis officijs complectendus est, ut sentiat, duntaxat peccatum eius odio haberi, sicut iustum est, salutem autem eius maximę nobis curæ esse.

QVEM REMISI, TV AVTEM EVM, HOC EST, VISCERA MEA, &c.

Hæc seu correctio seu interpretatio, cũ dicit: Suscipe ipsum, hoc est, mea uiscera, plurimum facit ad persuasionẽ. Si ME amas, & cupis MIHI bene facere, suscipe Onesimon. Is enim factus est nunc mihi, uelut alter ego. Meum cor, meus animus est. Quid potest hac Pauli charitate

erga Onesimon maius dici? Nec
2. Corin. 11. existimandum est q̃ Paulus calamo tantum & uerbo diligat Onesimon, sed perspicuum est, q̃ qui infirmatur, & uritur, cum alĩ infirmãtur & offenduntur, & qui optat esse anathema a Christo pro persecutoribus suis, is etiam ex animo complectatur auditorem Euangeiĩ sui,
Dilectio proximi. in Christo resipiscentem. Habes igitur in Paulo exemplum, quo obseruatur, quanta possit esse charitas erga proximum, in homine pio, & renato ex spiritu sancto. Etsi enim dilectio proximi non potest esse omniño perfecta & absoluta in hoĩe pio, propter carnẽ originali peccato uitiatam (non enim iustificatur in conRom. 8. spectu Dei omnis uiuens, & lex est imbecillis per carnem, ut Paulus ait)

ait) tamen neceſſe eſt, ut in homine pio inchoetur, & aliquatenus ꝓgrediatur, quia datur credentibus ſpiritus ſanctus, qui non euellit quidem penitus peccatum e carne, reſecat autem, ut non regnet in mortali noſtro corpore. Quare inuidi, ἄσοφοι, ingrati, maledici, contumelioſi, & iniurioſi in proximos, non ſunt Chriſti, quia non uiuunt ſecundum ſpiritum, ſed ſecundum carnem, & non mortificant facta corporis, ſpiritu, ſed obediunt cupiditatibus peccati. Deinde, ꝙ Paulus facit dilectione ſua, Oneſimon tanquam uiſcera ſua, uirtus eſt ſpiritus ſancti, ſignificãtis in Paulo, quo affectu Chriſtus in cœlis complectatur peccatorem reſipiſcentem. Nam qualem Paulus uocat Oneſimon (uocat aũt

eum, Viscera sua) talem agnoscit Christus quemuis pœnitentiã agentem. Venit enim Christus in hunc mũdum, & exinaniuit se forma serui assumpta, ac factus est obediens usq; ad mortẽ crucis, ut uocaret homines ad pœnitentiam, & seruaret eos. Nisi autem amplecteretur pœnitentes, tanquam cor, animum, & uiscera sua, certe non suscepisset propter ipsos tantas afflictiones. Apud Lucam, paterfamilias reportat ouẽ perditam humeris suis, cum reliquisset antea nonaginta nouem in deserto. Et postea filius perditus quidẽ luxu, sed resipiscens excipitur osculis & magna patris lætitia. Extat huius rei iucundissima figura, in rationali summi põtificis apud Israelitas. Pontifex enim gestabat duodecim gem

Proximus uiscera nostra.

Exodi 28.

gemmas nominibus Israeliticarum tribuum insignitas, super pectus suum, quo spiritus sanctus significare uoluit, eos qui per resipiscentiam in Christo fiunt ueri Israelitæ, gestari in pectore Christi, ac haberi a Christo tanquam sua ipsius uiscera. Quare enitamur summo studio, ut pœnitentiam agamus, & resipiscamus in Christo, quo fiamus non solum membra, sed etiam tanquam cor, animus, & uiscera Christi. Cum ẽ facti sumus uiscera Christi, nulla afflictio, imo nulla mors tam potens est, quæ nos incommodo afficere queat.

QVEM EGO CVPIEBAM APVD ME RETINERE, &c.)

Dicet Philemon, si Onesimus tibi tam utilis est, cur non retinuisti

eum tecum? cur ad me remisisti? Respõdet Paulus: Cupiebam quidem retinere eum apud me, ut pro te ministraret mihi in uinculis Euangelij, sed absque tua sententia nihil uoluisse facere &c. Hoc loco docet Paulus, unde beneficia, quæ nobis inuicem præstamus, accipiant suam æstimationem, uidelicet, non ab ipsa beneficij excellentia, sed ab animo præstantis. Si enim animus dantis est hilaris, candidus, & beneuolus, beneficium iudicatur magnum. Si autem animus est inuidus, tristis, & inuitus, beneficium amittit nomen suum. Si prius adsit, inquit alias Paulus, animi promptitudo, ea iuxta quicquid illud est, quod possidet aliquis, accepta est, non iuxta id quod non possidet. Ex hoc etiam discendum

Beneficia & munera unde suam æstimationem accipiant.

2. Co in. 8.

dum est, quam rationem habeant bona nostra opera coram Deo. Nã quemadmodum hominibus ea beneficia non sunt accepta, quæ etsi p se sunt magnæ æstimationis, præstãtur tamen ipsis tristi & inuito animo, ita Deus non iudicat opera nostra esse perfecte bona, ex ipsa externa specie, sed ex aĩo facientis. Nunc autem animus hominũ obrutus est peccato originali, pre quo nec tantũ credit Deo, nec tantum amat Deũ, quantum debet, & cum aliquid graue e diuino præcepto uel faciendum uel patiendũ est, mallet Deum hoc nõ exigere. Velle, inquit Paulus, adest mihi, sed ut faciam bonum, nõ reperio. Et: Video aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ, & captiuum redden-

tem me legi peccati. Bona igitur nostra opera non iudicantur corã Deo perfecte bona, quia non proficiscũtur e corde perfecte bono et sancto, attamen, opera eorum, qui in Christum credunt, etsi non sunt perfecta, tamen sunt Deo grata, non propter ipsorum operum integritatẽ, sed propter Christum. Quare bene faciendum est ex fide in Christum, ut officia nostra fiãt propter Christum Deo grata.

NAM PROPTEREA FORSITAN SECESSIT, &c.

Vide, quam humaniter mitiget fugam serui. Vocat enim fugam, secessionem. Et addit interim eiusce modi uerba, quæ maximam habent uim persuadendi. Secessit nuper inutilis, sed nũc redit utilissimus. An-

te

te ſeruus tantum abijt, nunc autē reuertitur, non ſeruus tantum, ſed etiam frater, nō uulgaris, ſed dilectus, ac præcipue mihi dilectus. Quanto magis etiā tibi dilectus eſſe debet, ꝓpterea ꝙ nūc tibi iunctus ſit tā carne, hoc eſt, externo iure, quia tuus ſeruus eſt, q̄ ſpiritu, quia tuus frater in Chriſto Ieſu. Cur igitur non ignoſceres ei ſcelus? cur redeuntem tā to cum fœnore nō reciperes in gratiam? An indignareris, ſi quis tibi auferret plumbum, & redderet aurum? Oneſimus fuit antea tanquam plumbeus ſeruus, hoc eſt, inutilis, nunc redit tanq̄ aureus, quia Chriſtianus & mihi dilectus. Cæterum, cum Paulus dicat: Forſitan ſeceſſit ad tempus, ut æternum eum reciperes &c. docet nos obſeruabilem &

Patientia in rebus ablatis

utiliſſimam regulam, uidelicet, ꝙ cum ex diuina ordinatione ſeu conniuentia priuamur ac deſtituimur rebus, quæ uidentur nobis utiles aut iucundæ, exiſtimare debemus, Dominum Deum noſtrum abripere nobis eas, non ut perdat nos, aut egenos nos derelinquat, ſed ut reſtituat nobis res ablatas, multo preciоſiores, copioſiores, ac etiam utiliores. Neceſſarium autem nobis eſt, ut affectus noſtros ad hanc normã dirigamus. Niſi enim hoc fecerimus, uix poteſt nobis tranquillitas, & animi æquitas in aduerſis, & ſuſferendis damnis contingere. Nec eſt exiſtimandum, ꝙ hæc ſint nuda tantum uerba, ad placandos animos aduerſis exulceratos, excogitata, ſed ſunt certiſſima ueritas, tam diuinis

rati

rstionibus & promiſſionibus, quam manifeſtis miraculis & exemplis comprobata. Primum enim, an non Dominus Deus noſter, Deus optimus maximus eſt? Certe Deus tantę eſt bonitatis, ut non conniueret ad mala, niſi ſciret, poſſet, & uellet, per mala, bonum efficere. Et, ut ſignificantius loquar, Deus eſt ipſiſſima bonitas. Iã, ſi bonitas ipſa infert nobis quiddã, aut permittit, ut inferatur, quomodo poſſet eſſe malum? Videtur quidem nobis pro noſtro captu aliquoties malum, at Deo lõge aliud uidetur. Quare neceſſe eſt, ut quod nobis diuina ordinatione aut conniuentia aufertur, utile fiat. Si autem utile, cur indignamur? cur iniquo animo ferimus? Deinde uetus & ſolennis conſuetudo Dei

est, ꝙ inchoet actionem operum su orum, non pro huius mundi ratiõe a parte ordinaria, sed a parte diuersa. Consolaturus enim terret. Ditaturus, facit pauperem, uiuificaturus, mortificat. Dominus, inquit Hanna, mortificat & uiuificat, deducit ad inferos & reducit. Et Oseas. Venite reuertamur ad Dominum, quia ipse cœpit, et sanabit nos, percussit, & curabit nos. Huc facit etiã Esaias: Vt faciat, inquiens, opus suum, alienum est opus eius, ut operet opus suum, peregrinum est opus eius ab eo. Cum enim Dominus conniuet, ut auferantur nobis ea, quæ uidentᵉ cõmoda & utilia, alienum est opus eius. Siquidem proprium opus eius est, dare nobis, non auferre commoda & utilia, sed idcirco fit, ut faciat suum

1. Reg. 2.

Ose. 6.

Esa. 28.

tum opus, hoc est, ut reddat nobis multo cõmodiora & utiliora. Quare, quæ auferuntur, ideo auferũtur, ut restituãtur nobis a Deo copiosiora. Apud Matthæũ dicit Christus: Omnis qui reliquerit domos, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitæ æternæ sorcietur hæreditatem. Non solum autẽ relinquit sua propter Christum is, qui ejicitur in exilium, & cui auferũtur facultates propter confessionem Christi, & Euangelij eius, sed etiam is, qui alijs de causis spoliatur facultatibus suis siue iuste siue iniuste, et suffert eam despoliationem æquo animo in fide, ac permittit Dominoultionem. Nam propter nomẽ Chri Matthei 19.

sti aliquid relinquere, an non est etiam ad obsequendum uolũtati Christi aliquid relinquere? Voluntas autem Christi est, non solum, ut relinquas potius omnia, quam ut ipsum aut Euangelion eius abneges, sed etiam, ut illatam iniuriam patienter feras, nec teipsum illegitime ulciscaris. Iam, q̃ Christus ait: Nos centuplum recepturos, perspicue significat, ablationem rerum esse ueluti sementem. Nam, quemadmodum agricola spargens semen in agrum non amittit semen, sed recipit suo tẽpore, aliud trigecuplum, aliud sexagecuplum, aliud centuplum, ita si is, cui facultates auferuntur, commiserit, & quasi seminatione sparserit eas in manum Domini, tanquam in agrum, fieri certe non potest, quin

uber

uberrimos fructus recipiat. Putas ne agrum huius terræ fertiliorem esse manu Domini? Scilicet, lutosus ager redderet agricolæ semen suum centesima copia, & liberalissima ac potentissima manus Domini, non redderet ea, quæ in ipsam, uelut sementis, sparsa sunt, longe omnium copiosissima? Vide mihi nunc exempla, quæ nobis sacra scriptura in nostri doctrinam ob oculos ponit. Abraamo auferebatur ex uocatione Dei patria, sed cũ quicquid id esset, in manum Domini abiiceret, redditum est ipsi & posteris eius, pro patria, totum regnum Canaan. Ioseph ejicitur e paterna domo a fratribus, sed cũ hoc patienter ex fide ferret, datus est ei pro paterna domo, principatus Aegypti. Huc perti

Manus Domini, ager fertilis.

net etiã Iob, ſimiliter & Dauid. Et
Matthei 19. quis huiuſcemodi exempla omnia e
numerare poſſet? In Matthæo, ait
Petrus ad Chriſtum: Ecce nos reli-
quimus omnia, et ſecuti ſumus te.
Quid ergo erit nobis? Chriſtus
autem reſpondit: Amẽ dico uobis,
ꝙ uos qui ſecuti eſtis me, in regene
ratiõe, cum ſederit filius hominis in
ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & uos
ſuper ſedes duodecim, iudicãtes du
odecim tribus Iſrael. Vide quanta
reddatur maieſtas, pro relictis, non
admodum precioſis retibus. Quid
autem dicemus? exiſtimas ne Deum
non eſſe meliorem & clementiorẽ,
aut etiã prudentiorem humanis pa-
rentibus? An non parentes huius
ſeculi, ſi forte imperitus ipſorum pu
er acceperit aureum numum, ſolent
eum

eum ab ipso quantumcunque repugnante auferre, ut non conijciāt puerum in inopiam, sed ut negociatione sua numum numo augeant, & restituant suo tempore, pro uno numo, sexcentos. Sumus & nos pueri Domini Dei nostri. Aufert pauca, ut plura restituat. Quare, cum rebus nostris spoliamur, non est conuitijs aduersus Deum & homines debachandum, sed cogitandum, ꝙ Deus receperit eas in suam manum, ut augeat eas, ac reddat nobis ipsas cū maximo fœnore.

SI IGITVR ME HABES CONSORTEM, &c.)

Epilogus, seu conclusio, in qua Paulus repetit præcipuum argumētum, quod ad persuasionem aptissimum uidetur. Onesimus factus est

mihi, non frater tantum, & filius, ſed etiã alter ego. Quare ſi me ipſum amas, ſi cupis me in domũ tuam reuerenter excipere, ſi uis mecũ habere conſortium, aut ſocietatem in hæreditate regni cœleſtis, excipe Oneſimon, tanq̃ meipſum. Si quid beneficij contuleris in ipſum, id mihi ipſi collatũ deputabo. Sin eieceris eũ, iudicabo me eiectũ eſſe. Habes iterum in Paulo exemplum ſynceræ dilectionis proximi. Cum enim lex dicat: Diliges proximum tuum ſicut teipſum, non diſtinguit inter amicũ & inimicum, inter ſeruum & dominũ. Sed uocat eum proximũ, qui noſtra opera indiget, ſiue amicus, ſiue inimicus, ſiue ſeruus ſiue dominus fuerit. Itaq̃ Paulus commendat domino ſeruum ut ſeipſum. Hæc & id

genus

genus exempla dilectionis propo-
nuntur nobis tanquam commenta
rius & interpretatio legis de diligen
do proximo, ut discamus quãta pro
ximi dilectio a nobis requiratur.

QVOD SI QVID LAESIT TE, AVT DEBET, &c.)

Dicet Philemon, facile quidem adducar, ut recipiam tuo nomine seruum in gratiam, sed ea conditio ne, ut quæ furto abstulit, restituat. Peccatum enim, ut aiunt, non dimit titur, nisi ablatum restituatur. Res-pondet Paulus: Si quid te læsit, aut debet, hoc mihi imputato. Ego Pau lus scripsi mea manu. Ego dependã, hoc est, ego fide iubeo me exolutu rum debitum pro Onesimo. Et in testimonium huius promissionis

trado tibi hanc Epistolam mea manu scriptam, ut habeas meum chirographum, quo me tibi obstrictum & obligatum habeas. Vt hæc non omnino oscitanter prætereamus, agite dum, uideamus, quid illud sit, quod uulgo iactatur, peccatum non dimittitur, nisi ablatum restituatur. Est autem hoc dictum Augustini, in Epistola ad Macedonium. Quid igitur dicemus? num restitutio bonorum ablatorum expiat peccatum coram Deo? Minime omnium. Nã quomodo sentiendum sit de bonorum ablatorum restitutione, docet exemplum Zachæi. Hic enim, post quam agnouisset peccata sua, nec posset apud Pharisæos ullam certã rationem inuenire, qua consequeretur remissionem peccatorum, agnos-

Peccatum nõ dimittitur ni si ablatum restituatur.

cit

cit Christum, ac suscipit eum lætus in domũ suam, et credit, ꝙ propter ipsum habeat peccatorum remissionem. Postea, cum sibi conscius esset, ꝙ haberet multas opes iniuste partas, non potuit fides eius, qua renatus erat, ferre, ut priora peccata secta retur, sed potius excitauit ipsum, ut quoquomodo posset, aliena restitueret. Hæc restitutio, non fuit expiatio peccatorum, quam iam, priusq̃ aliena restitueret, habebat propter Christũ, sed erat fructus fidei. Nã, quemadmodum fides, post resipiscẽtiam, non potest ferre, ut qui prius erat externus homicida, maneat externus homicida, & pergat designare homicidia, ita ferre nõ potest, ut fur maneat fur, post resipiscentiam. Manet autem quispiã tantisper fur,

dum retinet opes inique partas. Quod igit̃ de Zachæo dictum est, hoc idẽ de q̃uis impostore, fure, aut raptore, pœnitentiam acturo dicendum erit. Postquam enim magnitudo peccati reuelata est, agnoscendus est Christus, & credendum, q̃ propter hunc solũ peccata remittantur. Deinde, & si cor hominis non ita purificatur fide, ut nullum omnino sentiat peccatũ. Caro enim semper retinet suũ peccatũ, in hoc seculo, tamen fides efficit, ut pc̃tm̃ nõ regnet in carne, & affert hunc fructũ, q̃ nõ sinit impostorẽ, furẽ, & raptorẽ, in externis suis peccatis pergere, sed instat potius & urget, ut peccata ista fugiat. Quare urget etiã, ut, si fieri potest, aliena bona restituantur. Quod si aũt non restituuntur, cum

pos

possint restitui, tunc nõ agit pœnitẽ tia, quemadmodũ uere dixit Augustinus, sed fingitur. Itaq; etsi restitutio ablatorum bonorum non est expiatio peccatorum coram Deo, tamen recte dicitur peccatum non dimitti, nisi ablatum restituat. Quid autem illud est, q̃ Paulus fiat pro seruo sponsor seu fideiussor in re pecuniaria? An non Salomon dicit: Stultus stipulatur manu spondens pro proximo. Et iterum: Tolle uestẽ eius, qui pro alieno spopõdit? In his sententijs Salomon non uetat facere opus charitatis, sed uetat temere in homines confidere. Sunt enim, qui pro alio spondent, plusquam omnes facultates ipsorum ferre queãt. Spõdere igitur hoc modo, est fiduciam suam in hominem collocare, quod

Prouerbi. 17. & 27.

Spõdere noxa præstio est.

quantæ ſit temeritatis, cuiuis perſpicuum eſt. Et his, qui ita ſpondẽt, hoc eſt, temere agunt, iuſte accidit, ut etiam ueſtibus ſuis, iuxta Salomonem, propter ſponſionem ſpolientur, quanquam crudelitas creditorum non ſit approbanda, nec a magiſtratu, niſi legitime permittẽda. Quod autem Paulus hoc loco agit, ex charitate agit. Nam, quod pro ſeruo ſpondet, hoc etiam poteſt dependere. Sed quomodo, inquies, cum Paulus non ſolum nullas opes poſſideat, uerumetiã captiuus nunc teneatur? An non potuiſſet Philemon hunc ſponſorem, una cum ſponſione ſua ridere, & dicere: Quid tu mihi depẽderes uinctus, & poſtera fortaſſis die ad publicum & extremum ſupplicium producendus? Ad hoc reſpõdet

Paulus,

Paulus dicens: Vt ne dicam, ꝙ etiã teipſum mihi inſuper debes, hoc eſt, plurima, & copioſiſſima ſuppetunt mihi ad dependendum. Habeo enim Codicẽ expenſi, quem uocãt, Regiſtrum, in quo ſcriptum eſt, ꝙ tu debeas mihi Teipſum. Conferamus igitur rationem, & ſiquidem illud quod ſeruus tibi abſtulit, & ꝙ quo ego nomine ſerui ſpondeo, detraxerimus de ea ſumma, quam tu mihi debes, quantum, obſecro, ad huc reliquum manet, quod mihi debiturus es? Exiſtimo enim teipſum multo precioſiorem eſſe, q̃ ut cum reculis illis, quas ſeruus abſtulit, cõferri debeas, tantum abeſt, ut ſentiãte, iſs detractis, non amplius eſſe in meo ære. Sed quęſo te, unde eſt hoc debitum contractum, ꝙ Philemõ,

Euangelij ministro quid debeat auditor.

non ſua tantum, uerumetiã ſeipſum debuit Paulo? Certe non niſi ex miniſterio Euangelico. Paulus em̃ prędicauit Philemoni Euangeliõ Chriſti, & docuit eum Chriſtianiſmum. Quid autem beneficij contulit ad eum hoc miniſterio? Primum, cõtulit ad eum remiſſionem peccatorũ. Quantum autem hoc beneficium reputandum eſt? Nullis certe opibus æſtimari poteſt. Deinde attulit ei Euangelion Chriſti, propicium patrem in cœlis. Hoc beneficiũ maius & excellentius eſt, q̃ ſi effeciſſet, ut omnes totius terræ Monarchæ, cõplexi fuiſſent Philemonem tãquam fratrem aut filiũ. Adhæc attulit ei liberationem ex omnibus malis huius ſeculi, adeoq; ab ipſa morte. Eſt & hoc beneficium incomparabile.

Multi

Multi enim in periculis comprehensi, libenter exponerent omnes facultates suas, ut seruarētur. Postremo attulit ei uitam & fœlicitatem sempiternam. Hæc omnia beneficia debuit Philemō accepta referre Paulo, non quidem tanquam salutis autori, attamen tanquam Christi ministro. Quomodo autem potuisset hoc debitum Paulo persoluere? certe ne seipso quidē, ut nihil interim dicam de opibus eius. Hic ergo considera mihi quantum auditores Euangelij debeant suis concionatoribus. Teipsum, inquit Paulus, mihi debes. Et alias: Si fieri potuisset, oculos uestros effossos dedissetis mihi. Dices autem: Da Paulū, da Petrū, & dabimus eis, etiam nos ipsos, sed audi tu uicissim. An non datur ti-

bi Paulus, an non Petrus, cum ad-
nunciatur tibi Euangelion, quod
illi adnunciarunt? Hi enim accepti
fuerunt Eccleſiæ non propter perſo
nam, ſed propter miniſterium ipſo-
rum. At idem plane miniſterium e-
tiam nunc tibi proponitur, & idem
Euangeliõ prædicatur. Multi ſunt,
fateor, qui tam impie docent, quam
impure uiuunt, non eſt autem nobis
nunc ſermo de his, ſed de illis, qui
Euangelion uere Apoſtolicũ præ-
dicant, & officium ſuum honeſtate
uitæ ornant. Quid eſt, quod ne illis
quidem dependis, quod debes? Nõ
edunt, ais, miracula, quemadmodũ
Paulus & Petrus ediderunt. At nec
hoctempore neceſſarium eſt, ut au-
toritas Euangelij iam ante probe cõ
firmati, miraculis muniatur: nec
Pau-

Paulus & Petrus prædicauerunt Euangelion Christi propter miracula, sed ediderunt miracula propter Euangelion. Cum igitur fideles ministri Ecclesiæ idem prorsus Euãgelion Christi doceant, quod Apostoli docuerũt, magna est ingratitudo, magnus contemptus, ꝙ non prosequaris ipsos eo charitatis affectu, quem spiritus sanctus ab Euangelij auditoribus exigit. Ne erretis, inqt alias Paulus, Deus non irridetur. Quicquid em̃ seminauerit homo, hoc & metet. Sed de hac re hactenus, percurramus reliqua, quæ adhuc explicanda supersunt.

ETIAM FRATER, EGO TE FRVAR IN DOMINO, &c.)

Vide ut Paulus instet, urgeat, & nihil remittat, quo impetret fugiti-

uo ſeruo gratiam domini ſui. Ob ſecro, inquit, te, frater, ut ſi ſeruum omnino indignum iudicaueris tua clemẽtia, me ſaltem reſpicias, mecꝙ nõ indignum iudices, in quem hoc beneficij, ſi ob nihil aliud, certe propter Chriſtum conferas, quo ego in uinculis & alijs afflictionibus, tuo nomine, & quaſi te coram dolorem meum conſolante, refociller, ac recreationem aliquam accipiam, idꝙ in Domino. Quod enim beneficij in me confers, id exiſtimato te in Dominum Chriſtum, cuius nomine uinctus ſum, conferre. Hoc loco ſignificat Paulus, ꝙ inter opera charitatis non poſſimus diuinius opus, et gratiorem Chriſto cultum præſtare, quam ſi afflictum & mœrore profligatum officijs noſtris erigamus & re

Afflictus officijs humanitatis erigẽdus.

& recreemus. Qua in re homines frequentissime, ac etiam crudelissime peccare solent. Quem enim uident iacentem, aduersis oppressum, ei non solum nõ porrigunt dextrã, uerumetiam pedibus conculcant, hoc est, non tantum contumelijosis uerbis, sed & iniurijosis factis, quo quomodo possunt, lædunt, adeoq; afflictis, afflictiões addũt. Sic Amalecitę cõgesserunt in miseros Israelitas, nouas miserias, dũ extremos agminis eorũ, defessos, ac fame & labore cõfectos, crudeliter trucidarunt, quemadmodum scriptum est Deut. xxv. Sic calũniatores, serui pontificum, ac pontifices ipsi, Christũ Dominum nostrũ ante satis superq; afflictũ, & iam captiuum, uinctum, ac etiam crucifixum, magis afflixe

Amalecitæ.

runt, nunc calumnijs, nunc alapis, nunc conuitijs, ac uirulentissimis maledictis. Hi enim fere sunt hominum mores, ꝙ quem uidēt deiectū, eum plus deprimant. Sed lex Domini, imo beneficia, quæ Deus in nos propter Christum contulit, longe alios mores exigunt. Hic enim cultus Deo acceptissimus est, ut miserꝛ, non reddas miseriorem, sed potius quibus potes officijs, subleues. Lex enim naturalis est: Quæcunꝙ uolueritis, ut faciant uobis homines, sic & uos facite illis. Adhæc exigit Deus, ut simus imitatores eius. Si enim agendum nobis est perpetuū contuberuium cum Deo, certe necesse habemus Deo imitatiōe, quantum possibile est, similes fieri. Deus autem hoc ingenio prędituſ est, ꝙ

maxi

maxime omnium reſpiciat afflictos et abiectos. Qui in altis, inqt Pſal. habitat, & humilia reſpicit in cœlo & in terra. Et iterum: Cor contritū & humiliatum Deus nō deſpicies: Ac in Eſaia: Super quem reſpiciā niſi ſuper humilem & contritū corde &c. Ac profecto, hoc eſt ſolenne epitheton Dei, qꝑ ſit RESPECTOR MISERORVM. Quare debemus & nos miſeros ſubleuare, ut ſimus imitatores Domini Dei noſtri. Finge mihi, quempiam flagitijs ſuis meritum eſſe afflictiones, attamen ne ſic quidem ferre poteſt Deus, ut in miſerū inſultes. Nam, quemadmodum parens quiſpiam, caſtigans puerum ſum aliculus criminis reum uerberibus, etſi grauiter exarſit, & crimen pueri deteſtandum eſt, non tamen to

lerat æquo animo, ut ſeruus puerũ, uerberibus caſtigatum, pedibus cõculcet, ſed potius exigit, ut ſeruus puerum conſoletur, puero blãdiatur, & hortetur eum, quo parentis uirgam patienter ferat, ac deinceps caueat, ne quid uirga dignũ deſignet: ita & Dominus Deus noſter ſolet populum ſuũ, qui ſunt filij eius, propter ſcelera flagellare, ſed quem ipſe flagellat, eũ intantũ non uult ut tu ſcorpijs cędas, ut potius ira eius in te accendatur, ſi non complectaris ipſum ijs officijs, quæ homo homini in afflictiõe debet. In Eſaia de Babylone dicit Dñs: Iratus ſum ſup populum meũ, cõtaminaui hæreditatem meã, & dedi eos in manu tua. Non poſuiſti eis miſericordias. Sup ſenẽ aggrauaſti iugũ meũ. Habes crude-

Eſa. 42.

lita

litatem Babyloniorũ erga eos, quos Dñs flagellabat. Audi nunc ſuppli cium huius crudelitatis. Veniet ſu per te malum,& neſcies ortum eius, & irruet ſuper te calamitas,quã nõ poteris expiare. Sic & in Zacharia, dicit Dominus Zebaoth: Zelatus ſum Hieruſalem & Zion zelo ma/ gno,& ira magna ego iraſcor ſuper gentes opulentas , quia ego iratus ſum parꝛ, ipſi uero adiurauerũt in malũ. Nunq̃ igit cõmittendũ eſt,ut in miſerꝛ, q̃uis ſuo merito afflictũ, inſultemus, ſed potius toto ſtudio e nitẽdũ eſt,ut ipſum,q̃quomodo poſ ſumus,ſubleuemus. Prꝛterea Chri ſtus reipſa cõperit,q̃ gratũ ſit officiũ afflicto,ꝓximi beneuolentia. Cum eñ iam meditareť crucẽ, & haberet mortẽ ob oculos animi ſui poſitã, Zach. 3.

conſperſus fuit a Maria unguento nardi piſticæ precioſæ. Quod officium, etſi diſcipuli reprehendebant, tamen ipſe ita commendauit, ut affirmaret in toto orbe prædicandum. Quo aũt gratius hoc officium Chriſto fuit, eo manifeſtius ſignificatur, nullum, inter charitatis officia, maiorem cultum Deo præſtari poſſe, quam ſi afflictum humaniter cõplectaris. Quanto autem Deo gratius eſt officium, benefacere afflicto, tanto execrabilior eſt abominatio corã Deo, addere afflicto nouas afflictiones, ſiquidem id illegitime fiat. Poteſt enim fieri, ut qui affligitur, admonendus ſit peccati ſui, itaq; conijciatur in maiorem afflictionẽ. Hoc aũt ſi ex legitima uocatione fiat, id circo fieri ſolet, ut hac ratione afflictus

ctus ad ueram consolationem & re-
creationem peruen iat. Qui secundū
Deum est dolor, inquit Paulus, is
pœnitentiam ad salutem haud pœni
tendam parit. Sed si afflicto addan
tur nouæ afflictiones illegitime, cō
temptim, contumelioſe, impudēter
& uirulenter, quod homines a chari
tate alieni facere solent, id demū co
ram Deo non minor crudelitas est,
quam latrocinium. Deus testatus est
publico supplicio in Amalecitis,
quantopere detestetur talem crude
litatem. De qua re uide Deut. xxv.
Similiter in Psal. lxviij. maledicun
tur perpetuo hi, qui afflictum, ma-
gis affligebant. Effunde, inquit, su-
per eos iram tuam, & furor tuus cō
prehendat eos. Fiat habitatio eorum
deserta, in tabernaculis eorum non

sit qui inhabitet. Quã ob causſam? Sequitur. Quoniã quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt, & ſuper dolorẽ uulnerum meorꝝ addiderũt &c. Cõcipiendus igitur eſt timor Dei, ut afflictis faueamus, & eos officijs humanitatis ſuſtentemus.

CONFISVS DE OBEDIENTIA TVA &c.)

Correctio. Paulus enim reprehẽdit q̃dammodo ſeipſum, q̃ tam ſollicite ſcribat, perinde ac ſi dubitaret de obedientia, de humanitate & pietate Philemonis. Scio, inquiens, q̃ ultra q̃ dico facturus ſis. Quare nihil opus eſſet tam ſollicita admonitiõe. Copioſa em̃ & accurata oratio obſcure ſignificat diffidentiã animi erga amicũ. Et hæc eſt etiam una ex ijs cauſſis, propter quas Chriſtus rejicit orationẽ corã Deo multiloquã.

No-

Nolite, inquiens, esse multiloqui sicut Ethnici. In oratione enim coram Deo sufficiunt pauca uerba, sed exigit magna fiducia. Publicanus consequitur iustificationē pauciſſimis uerbis, qa habebat magnā fiduciā. Phariſeus aūt, tāto inigor reddebat, quanto plurib. uerbis in oratiōe ſua utebat. Cęterꝝ, ne Philemō cogitet, qd officij faceres Paulo, cū iā teneat uinctus, et fortaſſe prius extremo ſupplicio affectus eſt, q̄ literę huc peruenerūt, prœoccupat illud Paulus: Para mihi, inquiens, hoſpicium. Et addit: Spero enim, qp auxilio precum ueſtrarum donabor uobis. Obſeruabilis locus, primum, qp mutua interceſſio piorum in terris ſit efficax. Nam de inuocatione ſanctorum in Chriſto quieſcentiū, alias dictū eſt. Deinde, qp nullus quantumuis ſanctus

Oratio nō ſit multiloqua.

Oratio piorū mutua,

debeat piorum in hac terra hominũ preces fastidire. Paulus, electũ Dei organon, magnifacit alienas pro se prèces, quid ergo nos preces proximi quantumuis abiecti coram mundo, contemneremus? Idem Pauli exemplum habes in Epistola ad Rom. cap. xv. Sic enim dicit: Obsecro uos fratres, per Dominum nostrum Iesum Christum, et per dilectionẽ spiritus, ut me laborantẽ adiuuetis precationibus pro me ad Deum, ut liberer ab incredulis in Iudæa, &c.

SALVTANT TE EPAPHRAS, &c.)

Addit in fine Epistolæ, multorum salutationes, ut Philemõ intelligat, non tantum Paulum, sed & multos alios pios rogare, ut Onesimon in gratiam recipiat.

GRATIA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI &c.)

Concludit pro more ſuo Epiſtolam, precatione. Gratia, inquit, Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit cum ſpiritu ueſtro, hoc eſt, precor ut Chriſtus uobis faueat. Quid autem poteſt maius expeti? Cui enim fauet Chriſtus, ei etiam fauet Deus pater. Nec fauet ſimpliciter, ſed ita, ut adoptet ipſum in filium, & faciat eum cohæredem Chriſti filij ſui. Qua dignitate, imo qua maieſtate, nihil poteſt homini, aut excellentius, aut magis ſalutare contingere.

FINIS.

EX SVIDA, IN DICTIONE Αμὰν, quo in loco Assuerus uocatur Λαρεῖος.

Ἀμὰν, οὗτος προεσὼς τῶν βασιλικῶν πραγμάτων Δαρείου, ὑπέσχετο τῷ βασιλεῖ μύρια τάλαντα εἰσοίσειν, εἰ ἀπολέσοι Ἰουδαίους. ὡς δὲ ἔωσεν, ἐπεσάλπιγξεν τοῖς ἔθνεσιν ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ πάντας ἐξαφανίσαι. πρὶν δὲ συντελεσθῆναι ταῦτα, μαρδοχαῖος, τὴν κατ' αὐτὸν ἐπίθεσιν διὰ τὴν ἐσθὴν ἐδήλωσε τῷ βασιλεῖ. ὁ δὲ, τὰ ἐπισταλέντα ἀνεκαλεῖτο. Τότε ἀμὰν ἀνεσταύρωσε μέλλοντα σταυροῦν ὃν μαρδοχαῖον, πολεῖσοί τε τὴν ἐχθρῶν τὸ Ἰουδαίων ἀπώλεσεν. Καὶ τὰς ἡμέρας ἐκείνας ἑορτάζουσιν Ἰουδαῖοι.

AMAN, præfectus regijs negocijs Darij, pollicebatur se in regiũ fiscum illaturum decies mille talenta, si Iudæos perderet. Postq̃ autem id persuasit Regi, mandatum est gentibus, ut uno die omnes Iudęos delerent. Sed priusquam hæc peragerentur, Mardochęus indicauit Regi per Esther insidias aduersus ipsum. Itaq; Rex reuocauit mandata, & suspendit cruci Aman, qui crucifixurus erat Mardochęum. Ac multi inimicorum interempti sunt a Iudæis. Vnde & Iudæi hos dies festos agunt.

IN LIBEL
LVM ESTHER.

CVm maiores noſtri, q̃ tradiderunt nobis de manu, ut aiunt, in manum noſtram, legitimos, & ut ipſi uocant, Canonicos libros ſacræ ſcripturæ, retulerint etiã libellum Eſther in hũc numerum, non grauabimur eum breui quadã explicatione percurrere. Continet enim illuſtre exemplũ Eccleſiæ Dei in ſummo ac difficillimo tempore conſeruatæ, & commemorat, quanta ſeueritate Deus Eccleſiam ſuam ab hoſtibus & aduerſarijs ſuis uindicet. Docet præterea, Deum clemẽter erigere abiectos & afflictos, poten-

tenter autem deijcere arrogantes & insolentes. Quare hic libellus utilis est ad docendam fidem & timorem Dei, ut pij non frangãtur aduersis, sed inuocantes nomen Domini ex fide, concipiant certam spem salutis, impij autem alieno supplicio terreantur, & ad pietatem conuertantur. Cæterum, sunt, qui dicunt hunc libellum conscriptum esse a Ioiachimo filio Iesu, qui postq̃ Iudæi reuersi sunt ab exilio Babylonico, functus est summo pontificatu in Hierusalem. Alij sentiunt eum conscriptum esse a Mardochęo, qui magna pars est gestarum rerũ, quæ in hoc libello describuntur. Sed utcunq; hæc de scriptore se habeãt, certe maiores nostri, quia commendarũt nobis hoc scriptum sua autoritate, testi

moniũ etiã ferunt, ꝙ quę in eo cõti
nentur non ſint fabula Comica aut
Tragica, quales fortaſſis uidenť eſſe
Tobias et Iudith, ſed res uere geſta.
Quo aũt tẽpore geſta ſit, in dubiũ q
buſdam uenire uideo. Et tñ ſi quis di
ligẽter conferat ſeriem rerum geſta
rũ, nihil propemodũ obſcuritatis hic
relinquiť. Nam cũ libellus dicit, Aſ
ſuerum potentiſſimũ regem Perſaꝝ
duxiſſe Eſther in uxorẽ, manifeſtũ
eſt, hęc geſta eſſe in Monarchia Per
ſica, poſtq̃ Iudęi redierãt, cõcedente
Cyro, ab exilio Babylonico, ad pa
triã ſuam Hieruſalẽ. Etſi em̃ Cyrus,
ſuperato Balthaſare rege Babylonio
rũ, ꝓmiſerat Iudęis, ut reuerterenť ad
terram ſuã, & reſtaurarent templũ,
quẽadmodũ liber Eſdrę, cap. i. teſta
tur, maxia tamẽ pars Iudęoꝝ reman

ſerunt

ſerunt in ijs regiõibus, ad quas diſperſi erãt, alij quidẽ alijs de cauſis. Hi impietate, ꝙ ut ſcriptura loquit̃, ꝑ nihilo duxerint terram deſiderabilem, & maluerint inter impias gẽtes periculũ idololatrię ſubire, q̃ domi in populo Dei, uerę ueri Dei cultũ ſectari. Illi priuata neceſſitate, ꝙ res ipſorę eo loco inter gentes fuerũt, ut non potuerint cõmode ad patriã maiorum ſuorum redire. Iſti publica neceſſitate, ut in aulis regũ Perſicorum excubarent ꝑ ſalute Iudęorũ nõ eorum tm̃, qui remanſerant inter gentes, ſed etiã eorum, qui ꝑfecti erant ad reſtaurandũ templum & urbem Hieruſalem, e q̃rum numero fuerũt Daniel, Eſdra, & Neemias. Quod igitur in hoc libello Iudęis accidiſſe deſcribitur, hoc ſentiendum eſt ijs

accidisse, qui non una cum alijs reuersi sunt ab exilio Babylonico ad Hierusalem, sed qui inter gentes remanserunt, in Monarchia Persica.

CAPVT I.

IN DIEBVS ASSVERI, &c. Initio quęrendū est, quis fuerit is Assuerus, cuius hic fit mentio, & qui duxit postea Esther Iudæam in uxorem. Etsi enim liber Esdræ cap. iiij. facit mentionem Assueri, & in Daniele cap. ix. Darius dicitur Assueri filius, in sacris tamen literis nō traditur perspicue, quis inter Persarum reges, hoc nomine uocatus sit. Quare hoc ex alijs scriptoribus per

Assuerus quis fuerit.

qui

quirendum est. Et, ut non tam tempus historiæ Esther, quam series rerum gestarum, quæ in Esdra, Nehemia & Daniele descriptæ sunt, melius cognoscantur, subijciemus Catalogum regum Persicorum, quemadmodum monumẽta scriptorum nobis eum tradiderunt.

Capta Babylonia, & interfecto Balthasare ultimo rege Babyloniorũ, ac translata Babylonica Monarchia in Persas, primi Monarchæ Persici fuerunt, Cyrus rex Persarũ, & Darius filius Astyagis, rex Medorum. Hi enim collatis uiribus ceperunt Babylonem. Huius Darij fit mentio in Daniele cap. v. & vi. Et hic est Darius ille, qui permisit quidem ut Daniel abijceretur in lacum Leonum, cum autem uideret Dani

elem a Leonibus illęsum, confessus est & illustrauit gloriam ueri Dei Israelis, publico edicto.

Deinde post mortē Darij, solus Cyrus regnauit in Monarchia Persi ca, qui & cōcessit Iudęis, ut redirent ad Hierusalem, & restaurarent tem plū ac urbē, quemadmodū in Esdra cap. i. scriptū est. De hoc Cyro uati cinatus est Esaias cap. xlv. Et fit mē tio eius in Daniele capite. x. Cyro in bellū Schyticū pfecto, regnauit inte rim Cambyses filius eius, tyrannus crudelissimus. Huius nulla fit mētio in sacris literis, etsi Iosephus sentit, ab hoc prohibitā esse ędificationē tē pli in Hierusalē, antea a Cyro cōces sam. Sed uerisimilius est, eam initio magis finitimorū prędidū impietate q̄ Cambysis mandato prohibitā fu isse.

isse. Post mortē aūt Cyri, Cambyse in bellū Aegyptiacū, pfecto, & interfecto, occuparunt Magi regnū Persarum. De qua re uide Herodotū in θαλείᾳ. Sed nec horum fit aliqua mētio in sacris literis, propterea ꝙ nihil rei ipsis fuerit cum Iudæis, & regnarunt septem tantum mensibus. *Cambyses filius Cyri.*

Trucidatis Magis, Darius filius Hystaspis electus est rex, ex hinnitu equi. De qua electione, ualde iucūda scribit Herodotus in θαλείᾳ. Hūc Darium Metasthenes uocat, Priscū Artaxerxem Assuerum. Ac ipsa temporum ratio, & series Monarcharū Persicorum indicant hunc Darium Hystaspis esse Assuerum illū, de q̄ libellus Esther tractat, & qui duxit Esther in uxorem. In Daniele enim cap. ix. Assuerus dicit̄ pater Darij, *Darius Hystaspis.*

non huius, ex hinnitu equi, in regē electi, sed illius cognomento Longimani, qui concessit Iudæis, ut intermissum opus templi reparārent, de quo postea dicemus. Cum igitur ea quæ in hoc libello Esther scribūtur, gesta sint sub Assuero, qui fuit pater Longimani, manifestum est ea gesta esse ante restaurationem tēpli. Inter primum autem annum Monarchiæ Cyri, quo Iudæi prohibiti sunt ędificatione templi, et inter restaurationem templi, hoc est, usq; ad sextum annū Darij Longimani, fuerunt anni xlvi, ut testantur Iudęi apud Ioannem cap. ij. Nunc, Cyrus mortuo Dario Medo regnauit adhuc annis xxij. inter quos continentur & hi septē anni, quos dicit Herodotus regnasse Cambysen filiū Cyri.

ri. Nam Cyrus ſex annis fuit in bel lo Scythico, qbus interea regnauit domi Cãbyſes: ſed quia Cyrus adhuc ſuperſtes fuit, iccirco adſcribuntur a quibuſdam Cyro, & nõ Cambyſi, qui ſuſcepto bello in Aegyptios, nõ diu poſt patris mortem uixit. Poſt Cyrum, ponit Metaſthenes, prætermiſſo Cambyſe, Artaxerxem Aſſuèrum, & dicit eum regnaſſe xx. annis. Herodotus autẽ ſcribit, mortuo Cambyſe, & interfectis Magis, Darium filiũ Hyſtaſpis ex hinnitu equi regem electũ. Quare cum ea, quę ſcribuntur in libello Eſther, geſta ſint ante reſtaurationem templi, & poſt Cyrũ, mortuo Cambyſe ac interfectis Magis, regnauerit Darius Hyſtaſpis, ijs annis, quibus ædificatio templi intermiſſa eſt, manife-

ſtum eſt hunc Darium eſſe eũ, quem Metaſthenes uocat Aſſuerum. Scribit aũt Herodotus Darium, ſi quis interpretari uelit, ſignificare ἐρξείην, hoc eſt, eum, qui coerceat aduerſarios, & Artaxerxem μέγαν ἀρήϊον, hoc eſt, magnum bellatorem. Hæc fuerunt epitheta principum & regum Perſicorũ, quemadmodũ Aegyptij uocarunt reges ſuos Pharaões, hoc eſt, uindices, & Romani uocãt ſuos Imperatores, Auguſtos, quaſi diuinitus electos. Porro, apud Herodotum recenſentur uxores huius Darij Aſſueri, una, Atoſſa, altera Artyſtona, ac præter has, etiam aliæ. Etſi autem Artyſtona propius uidetur accedere ad nomen Eſther, tamen in hoc libello, capite ſecundo, Eſther manifeſte uocatur Adaſſa, Sic enim

iuxta

iuxta Hebręã ueritatẽ legitur : Mardochæus fuit nutricius Adaſſæ, (ipſa eſt Eſther,) filię fratris ſui. Cum igitur Eſther dicta ſit Adaſſa, apparet eam eſſe, quam Herodotus uocat Atoſſam. Scribit quidem Herodotus, Atoſſam fuiſſe filiã Cyri, & ante nupſiſſe Cambyſi ac Mago, ſed ſi Adaſſa eadem eſt cũ Atoſſa, quem admodum apparet, certe longe maior fides adhibẽda eſt noſtris ſacris literis, quæ affirmant Adaſſam, ſeu Atoſſam, quæ eſt Eſther, fuiſſe Iudæam, & ab Aſſuero uirginem ductam, quam alijs ſcriptoribus, qui faciunt eam filiam Cyri. Quid ſi Darius, ſeu Aſſuerus non unam tantũ, ſed plures uxores, eodem nomine Atoſſæ, uocatas, habuit, quarum unius tantum mentionem faciat Hero

Adaſſa.

Atoſſa

dotus? Quid ſi Græcus ſcriptor ma luit Atoſſam fingere filiam Cyri,& priorum regum uxorem, ut hoc men dacio Regiam familiam Darij non nihil commendaret, quam ueritatẽ ſcribere de Atoſſa Iudæa, & e maio ribus captiuis nata, ne tã illuſtris fa milia hac quaſi macula ſordidaret? Sed quia hæc ſunt remota nõ tam a noſtra memoria, quam ſeculo,& u. tendum nobis eſt teſtimonijs ueterũ ſcriptorum, ſequatur unusquiſq;, quod ſibi apud ſcriptores ueriſimi/ lius uidetur, & quod cum hiſtorijs ſacrarum literarũ maxime cõuenit. Nam quod manifeſte cũ ſacris lite/ ris pugnat, pro uano mendacio ha/ bendum eſt.

Poſt hunc Darium ſeu Aſſuerũ, Herodotus recenſet Xerxem filiũ,

ut

ut ait, Darij, ex Atossa, qui Xerxes memorabile illud bellum aduersus Græciam susceptit. Metasthenes autem commemorat Darium Artaxerxem, cognomento Longimanū, ꝙ dextra eius manus lōgior fuerit sinistra. Sentiūt autē quidam, Xerxem idcirco a Metasthene p̄termissum, ꝙ Xerxe in Græciā profecto, Longimanus interea regnū administra uerit. Necꝫ enim ueteri Persarum instituto, licebat regi, nisi prius constituto successore, in bellum proficisci. Addunt & hoc, ꝙ is Longimanus fuerit filius Xerxis. Alij uero existimant hunc Darium Longimanum fuisse filium Esther, ex Assuero. Vocat enim eum Daniel, filium Assueri, cap. ix. Certe is ille Darius est, qui permisit iterum Iudæis, ut tem-

Xerxes.

Artaxerxes Longimanus.

plum & urbem Hieruſalem, quorũ ædificatio iaminde a Cyri temporibus intermiſſa fuit, reſtaurarent, & is eſt, a cuius ſecundo anno, ſeptuaginta hebdomadæ Danielis numerantur, & cuius fit mentio, in Eſdra cap. iiij. v. et vi. & in Nehemia cap. j. nomine Artaxerxis. Item Daniel. ix. Aggæi & Zachariæ i.

Poſt hunc Darium Longimanũ, numerant Darium Nothum, poſt quem, Artaxerxem Mnemona, cognomento Magnum. Hunc ſequitur Artaxerxes Ochus. Poſt quem, Arſes. Deinde Darius ultimus, victus ab Alexandro Magno. Hi fuerunt Monarchæ Perſarum, quos hic cõmemorare libuit, propterea ꝙ quæ in libello Eſther deſcribuntur, geſta ſint in hac Perſarum Monarchia, &

ut enu-

ut enumeratis regibus Perſarũ, magis perſpicuum eſſet, quis fuerit is Aſſuerus, de quo in hoc libello tractatur, quẽ ſupra oſtendimus, Darium Priſcum Artaxerxem uocari, qui & poſt cędẽ Magorum, ex hinnitu equi, rex electus fuit.

QVI REGNAVIT AB INDIA VSQVẽ &c.)

Ab india uſque in Aethiopiam, hoc eſt, ab Oriente uſq; ad Occidentem. Potentiam huius Darĩ Aſſueri, & magnitudinem imperĩ eius, Herodotus in θαλείᾳ copioſe deſcribit. Etſi autem Herodotus dicit Dareĩον, adepto imperio, conſtituiſſe uiginti tantum ἀρχάς, hoc eſt, principatus, quos ipſi uocabãt σατραπείας, cũ hoc loco ſcriptura dicat eum regnaſſe ſuper centum uiginti ſeptem

prouincias, tamen ex enumeratione Satrapeiarum, quas Herodotus recenſet, manifeſtum eſt, ſingulas Satrapeias continuiſſe plures prouincias. Itaq; ſentiendū eſt, quod cum Darios dominaretur ſuper centum uigintiſ_ptē prouincias, ordinauerit tamen has prouincias in uiginti tantum Satrapeias, hoc eſt, præfecturas, quo commodius e ſingulis prouincijs ſua colligerentur tributa. Dicit autē Herodotus, Dareῖον accepiſſe ex his præfecturis tributorum nomine quotannis, βοβοϊκὰ τάλαντα μύρια, & τεξακιχίλια, ἡ πεντακόσια, & ἑξήκοντα, quatuordecim millia, quingenta ſexaginta talenta Euboica, quæ ad octagies quinquies centena millia Coronatorum, quos ita uocant, aureorum, ut minimum, æſtimantur.

Aßueri tributa.

Hęc

Hæc manifeſte indicant magnitudinem & amplitudinem Perſicæ Monarchiæ. Videamus igitur, quo cõſilio Deus & regna conſtituat, & tot regiones dominationi unius principis ſubiiciat. Neq; enim regna temere conſtant, neq; unus homo poteſt ſine Deo tot diuerſiſſimarum gentium dominationem conſequi. Sapientia, inquit Daniel, & fortitudo, Domini ſunt. Ipſe mutat tempora & ætates, transfert regna atq; cõſtituit. Et iterum: Excelſus dominatur ſup̃ regnum hominum, & cuicunq; uoluerit, dat illud. Quod ergo illud eſt conſilium Dei, quo transfert regna & conſtituit? Vt boni, inquis, defendantur, & mali puniantur, ac ut principes ſint terrori, quemadmodum Paulus ait, male agẽtibus, lau

Deus cur cõſtruat regna,

di uero bonis, q̃ publica honestas & tranquillitas inter homines conseruetur. Recte. Sed in quem usum conseruãda est publica honestas, & tranquillitas? Num ut uentri seruiamus, & cupiditates animi nostri expleamus? Nihil minus. Sed ut Dominum Deum cognoscamus, uerã Dei iusticiam discamus, & perpetuã salutem consequamur. Regna igitur & imperia constituuntur diuinitus propter Ecclesiam Dei, ut in publica tranquillitate uerbũ Dei doceri, & ad posteros propagari possit, ac uera Dei cognitio inter homines cõ seruetur. Esaias concionat cap. xlv. de Cyro, primo Persici imperij Monarcha, & ait: Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dextram, ut subijciam ante faciẽ

eius

eius gentes,& dorſa regum uertam, & aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudent. Ac mox: Ego Dominus qui uoco nomen tuum Deus Iſrael, propter ſeruum meũ Iacob, & Iſrael electum meum. Hic perſpicue docet propheta, quod Monarchia Perſica conſtituta ſit diuinitus propter Iſraelẽ, hoc eſt, ꝓpter Eccleſiam Dei. Cum autem Deus contulerit tantam potẽtiam in primũ Monarcham Perſici imperij, ꝓpter Eccleſiam ſuam, profecto obſcurũ nõ erit, quod etiam poſteri eius, in quorum numero continetur & hic Darius Aſſuerus, de quo in prẽſentia nobis ſermo eſt, acceperint tantam imperij maieſtatem, propter Eccleſiã. Etſi enim magna principũ pars non agnoſcunt uerũ Deum, nec ſentiũt

se propter Ecclesiam Dei ad guber nacula imperij sedere, Deus tamen tantæ est industriæ, ut & piorum et impiorum principum opera ad cõ/ modum Ecclesiæ suæ utatur. Perse/ cutio enim impiorum principũ, oc casio est, qua Ecclesia & probatur, & augetur. De Pharaonis et Aegyp tiorum persecutione dicit scriptura: Quanto plus opprimebant eos, tan to magis multiplicabantur & cresce bant. In Babylonica urbis Hierusa/ lem deuastatione uidebatur Ecclesia Domini prsus interire, sed quo lon gius Iudæi inter gentes dispergebã tur, eo latius maiestas ueri Dei pro pagabatur, id quod testantur publi ca edicta Regum Babylonicorũ, & Persicorum, quæ in Daniele cõscrip ta sunt. Officia autem piorum prin/

cipum,

cipum, quibus adiuuant Ecclesiã, ut multum prosunt Ecclesiæ, ita & afferunt sua principibus beneficia. Quare spiritus sanctus cohortat ipsos, ut amplectantur ueram doctrinam, & conferant operam suam ad Ecclesiam iuuandam. Nunc reges, inquit, intelligite, erudimini qui iudicatis terram: Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Osculamini filium, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de uia iusta. Et iterum: Attollite portas principes uestras, & eleuamini portæ æternales. Pro q̃ Hebræus textus habet: Leuate portæ capita uestra, & eleuamini ianuę seculi & ingredieť rex glorię, hoc est, Vos regna et imperia huius seculi, dilatate portas uestras, ut ingrediatur rex gloriæ, da

Principum officium.

te locum piæ doctrinæ in ueſtris regionibus, ut gloria Domini illuſtretur, & Eccleſia conſeruetur. Quod ſi exigit hoc ſpiritus ſanctus a principibus & Monarchis huius mundi, certe exigit etiã a priuatis quibuscꝫ, ut unusquiſcꝫ conferat operam ſuã pro uirili & uocatione ſua ad illuſtrandam gloriam Dei & conſeruãdam Eccleſiam. Conſeruatur autem Eccleſia, non ædificijs magnificarũ ædium, aut inſtitutione Monaſticorum ordinũ, ſed uera & ſyncera doctrina Euangelij. Ad hanc autẽ conſeruandam neceſſaria ſunt ſtudia bonarum literarum. Quare tam principes, q̃ priuati in hoc omnem curam ſuam ponere debent, ut & Scholæ bonarum literarũ, & miniſteria docendi Euangelij in Eccleſia recte conſtitu

ſtituantur. Propter hoc eñ Monarchiæ & politiæ diuinitus ordinatæ ſunt. Sed reuertamur ad Dariū Aſſuerum noſtrum, qui cum & ipſe tãtam imperij maieſtatem propter Eccleſiam acceperit, etſi nihil minus cogitabat, ac uidebatur etiam hoſtis Eccleſiæ, tamen regnãte ipſo, Eccleſia multum utilitatis conſecuta eſt, quemadmodū hic libellus teſtabit.

SVSA CIVITAS REGNI EIVS &c.)

Suſa, uel ut Hebræi uocant, Suſan, metropolis eſt in ea Perſidis parte, quæ Suſiana dicitur. Herodotus in Τερψικόρῃ ait, in hac ciuitate fuiſſe aulam Regiam Perſarum. γῆ ἥδε κισσίη, ἐν τῇ δὴ παρὰ τὸν Χοάσπην ποταμὸν τόνδε κάμενά ἐστι τὰ Σοῦσα ταῦτα, ἔνθα βασιλεύς τε μέγας ἔλαιτον ποιέεται, καὶ τῶν χρημάτων οἱ θησαυροὶ ἐνταῦθά εἰσι. Hæc eſt

terra Ciſſia, in qua iuxta hunc fluui um Choaſpim, ſita ſunt hæc Suſa, ubi rex magnus habitat, & hic ſunt theſauri pecuniarum. Scribit & alias de fluuio Choaſpe, ꝙ præterfluat Suſa, ac teſtatur Cyrũ huius unius potu delectatum fuiſſe, atq; aquam eius decoctam in argenteis uaſis, ſe cum, quocunq; proficiſceretur, mul tis carrucis circũuexiſſe. Regiæ mag nificentiæ eſt, ꝙ uſus ſit argenteis uaſis, ad ferendam aquam. Magnæ autem temperantiæ eſt, ꝙ Rex aquã potius q̃ uinum biberit, quam idcir co etiam circumuectione oſtentauit, ut populum exemplo ſuo ad tempe rantiam inuitaret. Vide autem, quid hoc tempore fieri ſoleat. Principes & qui uocantur, Nobiles, potentes ſunt, iuxta prophetam, ad bibendũ uinum,

Cyri temperantia.

uinum, & uiri fortes ad miſcendam ebrietatem. Itaq; fit, ut peſſimo ſuo exemplo impleant terram compotationibus, & helluationibus. Quare Cyrus ſurget in iudicio cū hac principum & nobilium generatione, & condemnabit eam, &c.

Principum et nobilium intemperantia.

TERTIO IGITVR ANNO IMPERII SVI &c.)

Deſcriptio publici conuiuij, q̃d Aſſuerus inſtituit & apparauit, principibus quidem, dimidiato anno. Ciuibus autem in Suſis, ſeptem diebus, ut magnificentiam ſuam teſtaretur, & animos popularium ſibi hac ratione conciliaret. Etſi enim uidebatur diuinitus Rex electus, quod equus eius ante ortum ſolis, quem unum Perſæ Deum credebant, & cui equos ſacratos putabant, primus

hinnitum edidisset, tamen proculdu bio offenderat animos popularium, ꝙ instituerit in imperio suo talem tributorum exactionem, qualis antea nec sub Cyro nec sub Cambyse usitata fuit, ideoꝙ uulgo dictus est, κάπηλος, hoc est, institor, aut caupo, ꝙ in omnibus rebus exerceret cauponariam. Quare instituit magnificum conuiuium, ut & animos eorũ, quos institutione tributorũ offenderat, beneuolos sibi redderet, & ostentatione magnificentiæ & potentiæ suæ, deterreret factiosos, ne quid in ipsum molirentur. Apparatus autẽ conuiuij hic erat. Parietes omnes triclinij, ornati erant precioſissimis aulæis & peristromatis. Lectuli seu scamna erant aurea & argẽtea, Pauimentum marmoreũ uarij coloris.

Pocula

Pocula aurea, quæ & subinde mutabantur. Vinum precioſiſſimum, ac plane regia magnificentia dignum, & tamen in tam splẽdido apparatu, ſua modeſtia & ſobrietas conſeruata eſt. Statuit emꝫ rex, ut alter alterũ ad compotationem minime cogeret, ac urgeret, ſed ut unusquiſq; biberet, quod ſibi ſatis uideretur. Non eſt autem opus nunc dicere de hac Aſſueri magnificentia, uidelicet, num Aſſuerus recte fecerit, q̃ tam ſplendido conuiuio opes ſuas oſtẽtauerit? Quid enim ad nos attinet, inquit Paulus, de his, qui foris ſunt, iudicare? Et, pollutis ac infidelibus nihil eſt purum, ſed polluta eſt illorum & mens & conſcientia, attamẽ ſpiritus ſanctus non proponit temere, hæc in Eccleſia legenda & tractã

da. Primum enim, opes & diuitiæ, quæ ad præſtandam magnificentiã neceſſarię habẽtur, ſunt donũ Dei, quo magiſtratus idcirco diuinitus ornatur, ut hoc ſplendore maiori ſit uenerationi ſubiectis, & terrori aduerſarijs. Diuitias (inquit Dominus ad Salomonem,) & ſubſtantiã, & gloriam dabo tibi, ita ut nullus in regibus nec ante nec poſt te ſimilis fuerit. Quare, ſi pius princeps utatur mediocriter opibus ſuis ad magnificentiam, non eſt impia pecunię dilapidatio, ſed utilis imperij ſui confirmatio. Etſi autem non damnatur mediocris magnificentia in principibus, tamen non licet populum deglubere, ut ſis magnificus: & excellentiſſimum omnium magnificentiæ genus eſt, pauperum & egenorum

rati

rationem habere. Vt enim iuuentur pauperes, neceſſarium eſt: ut oſtentes diuitias magnificis operibus, aut conuiuijs, nõ eſt neceſſarium. Cum facis prandium, inquit Chriſtus, aut cœnam, noli uocare amicos tuos neque fratres tuos, neq; cognatos tuos, neq; uicinos diuites, ne quando & ipſi te uiciſſim inuitent, ac rependatur tibi beneficium: Imo cum facis cõuiuiũ uoca pauperes, debiles, etc. Deinde, in magnificentia principũ conſideranda eſt admirabilis & immenſa maieſtas Dei. Etſi enim magnifica opera principum habent aliquem ſplendorem, tamen quid, obſecro, ſunt, ſi cõferantur ad opera Dei? Princeps maximo ſumptu, plurimo ſudore, & longiſſimo tempore, uix potuit unas & alteras ædes ex

citare, aut pauimentū marmore ſter
nere, Dominus autem Deus noſter
uno uerbo, tantam ornatiſſimi huius
cœli molem condidit. Quid autem
neceſſe eſt cœli mentionem facere?
Vide mihi floſculos agri. Amen di
co uobis, inquit Chriſtus, ne Salo
monem quidem in uniuerſa gloria
ſua ſic amictum fuiſſe, ut unū ex his.
Quare conſyderatio regiæ magnifi
centiæ utilis eſt ad cognoſcendā im
menſam & imperſcrutabilem maie
ſtatem Dei. Sed hic mihi paulo dili
gentius uide admirabilia Dei ope
ra. Quęſo enim te, quid utilitatis ui
detur hoc conuiuium Aſſueri Eccle
ſiæ, Domini afferre? Vbi uel inter
proceres regni, uel inter ciues Suſo
rum fit ulla mentio uerę in Deū re
ligiōis, & adiuuandæ Eccleſię Dei?
For

Fortassis ne unus quidem Iudæorũ, qui eo tempore erant populus Dei, in hoc cõuiuium admissus est, & tamen Dominus Deus noster tã⁊ est industriæ, ut efficiat, ⁊p hoc conuiuium, nulli hominum maiorem afferat utilitatem, q̃ populo & Ecclesiæ Dei. Nam occasione huius conuiuij, regina Vasthi deijcitur e maiestate sua, & Esther fit uxor Assueri, per quam postea Ecclesia Dei in difficillimo tempore seruata est. Hoc exemplum diligenter obseruandum est, ut de incolumitate et salute Ecclesiæ Domini, in omni rerum euentu bene confidere discamus. Nihil em̃ ab adiuuanda Ecclesia tam alienum uidetur, ⁊d Deus non possit ac non uelit industria sua in magnũ usum Ecclesiæ uertere. Exempla huius rei

Exempla incolumitatis Ecclesiæ.

extant multa in ſacris literis, præſertim in Daniele cap. ij. iij. & vi. Cæterũ, ubi uulgata lectio habet. Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum &c. Iuxta Hebręum textũ ſic legitur. Potatio non erat iuxta legem coacta, quia rex ordinauerat per prę poſitos domus ſuæ, ut unusquiſq; faceret, q̃d uellet. Hoc ſic intelligi poteſt, q̃ Rex conceſſerit, ut in hoc conuiuio publica ſobrietatis lex & conſuetudo, quę hactenus inter Perſas obſeruata fuerat, negligeretur. Nam maximã fuiſſe moderationẽ cibi & potus apud Perſas, uel hoc teſtatur, q̃ Xenophon ſcribit turpe fuiſſe apud Perſas ſpuere & emungi. Sed adſcribam uerba Xenophontis. Αἰσχρὸν μὲν δὴ ἔπι καὶ νῦν ἔδι πέρσαις, καὶ ὃ ἀποπτύειν, καὶ ὃ ἀπομύττεσθαι, ἢ ὃ φύ-

σης

σης μεσους φαίνεσθαι. αἰσχρὸν γὰρ καὶ ἐν τούτῳ που, φανερὸν γενέσθαι, ἢ τοῦ οὐρῆσαι ἕνεκα, ἢ ἄλλου τινὸς τοιούτου. ταῦτα δὲ οὐκ ἂν ἐδύναντο ποιεῖν, εἰ μὴ καὶ σιτία μετρία ἐχόντων, καὶ τὸ ὑγρὸν ἐκπονοῦντες ἀνήλισκον ὥστε ἄλλη ποι ἀποχωρεῖν. Etenim hoc etiam tempore turpe est apud Persas, spuere, & emungi, ac uideri urina plenos. Turpe item ducitur, quopiam ire meiendi aut alterius id genus rei gratia. Hæc certe facere nõ possent, nisi uterentur moderato uictu, & absumerent labore humiditatem, quo alio abscedat. Hactenus Xenophon. Sed quia Assuerus uoluit ut Principes & Ciues hilariter uiuerent, & conuiuium esset iucundissimum, concessit, ut præter ueterem Persarum morem, largius biberent, nulla certa & parua men-

sura, quod continentes & moderati facere solent, sed quantum cuique placeret, ac uoluptati esset. Non iniquum quidem est, ut aliquoties ex iustis & legitimis caussis, non nihil de seueritate publicarum legum, & disciplinæ remittatur, sed leges ita remittere, ut occasio detur peccandi aduersus Deum, ac nec alias quidem honestas leges seruandi, hoc nõ est, clementem esse principem, aut indulgentem parentem, sed corruptorem honestatis ac reipub. Sunt autem qui hunc locum aliter intelligant. Existimant enim Assuerum uetuisse in hoc conuiuio mutuis poculis certare, ne alter alterum uiolenter ad ebibendam æqualem uini mensuram cogat, quod inter hos, qui Compotatores uocantur,

tur, fieri ſolet. Hoc ſi a rege uetitum fuit, quemadmodũ uerba textus indicant, manifeſte apparet, certamina compotationis non eſſe noua, ſed iam tum in imperio Perſarum fuiſſe uſitata. Niſi enim antea fuiſſent uſitata, non fuiſſet locus ferendæ legis in hoc cõuiuio. Vetus eſt uerbũ: Leges bonæ, ex malis moribus pcreantur. Tametſi enim Perſæ fuerunt ex ueteri inſtituto moderatiſſimi uictus, quemadmodum paulo ante e Xenophonte retulimus, tamẽ honeſta ueterum inſtituta, ſemper in peius ruere ſolent, quod idem Xenophõ in Perſia factum eſſe perſpicue teſtatur, Sic inquiens: Libet enim totum locum ex octauo libro κύρου παιδείας huc tranſcribere, ꝙ & iucundus ſit lectu, & nonnihil faciat ad ſenſum textus noſtri. Νόμιμον δὲ

σὴ ἦν ἀυτοῖς, μήτε πτύειν, μήτε ἀπομύττεσθαι. δῆλον δὲ ὅτι ταῦτα, οὐ τοὺς ἐν τῷ σώματι ὑγροῦ φθόμενοι ἐνόμισαν, ἀλλὰ βουλόμενοι ἀπὸ πόνων καὶ ἱδρῶτος τὰ σώματα στερεοῦσθαι. νῦν δὲ μὴ μὴ πτύειν μηδὲ ἀπομύττεσθαι ἔτι δυναμένους δὲ ἢ πτύειν, οὐδὲ μοῦ ἐπιτηδεύειν. Καὶ μὴν, πρόσθεν μὴ ἦν ἀυτοῖς μονοσιτεῖν νόμιμον ὅπως ὅλην ἡμέρας χωὶς καὶ εἰς ἑσπέρας καὶ εἰς δὲ ἀναπνεῖσθαι. Νῦν δὲ μὴ μονοσιτεῖν ἔτι δυναμένους, ἀρχόμενοι ἢ τ σίτου, νικᾶσθαι οἱ πρωϊαίτατα ἀεὶ ὄντες, μέχρι τούτου ἐσθίοντες καὶ πίνοντες μάγουσιν, ἐσγέπτε οἱ ὀψὲ αἴτατα κοιμώμενοι. Ἦν δὲ αὐτοῖς νόμιμον, μηδὲ προχοίδας εἰσφέρεσθαι εἰς τὰ συμπόσια. δῆλον δὲ νομίζοντες, δὲ μὴ ὑπερπίνειν, ἅτ τον ἂν καὶ σώματα καὶ γνώμας σφάλλειν. νῦν δὲ μὴ εἰσφέρεσθαι ἔτι ἂν δυναμένει. Τοσοῦτον ἢ πίνουσιν, ὥστε ἀντὶ τοῦ εἰσφέρειν, αὐτοὶ ἐκφέρονται, ἐπεὶ δὲ ἂν μηκέτι δύνωνται ὀρθούμενοι ἀξιοῦν. Legitimum erat apud Persas, ut ne quis spueret, aut mucum faceret. Manifestum autē est,

eſt, ꝙ hæc lege ſanxerint, nõ ꝙ par cerent humori corporis, ſed ꝙ uel lent corpora per labores & ſudorem ſolidiora reddere. Hoc uero tempo re, non ſpuere, nec emungi, adhuc perdurat, ſed labori nulla dat opa. Antea erat ipſis legitimum, ſemel e dere, quo liceret ipſis totũ diem ad res gerendas & ad labores inſumere. Hoc aũt tempore, ſemel cibum cape re, adhuc quidem permanet, ſed in cipiunt ſummo mane prandere, & perducũt prandiũ uſq; ad ſerum ue ſperum. Erat & illis legitimum, ne urcei importarentur in ſympoſia: quippe ꝙ iudicarent, quo minus bi berent, eo minus corpora & men tes aberrare. Nunc autem, adhuc quidem permanet, ne urcei impor tentur, ſed pro importandis urceis,

ipſi exportantur, propterea q̃ præ ebrietate non poſſint erecti e ſympoſio exire. Hactenus Xenophon. Vides autem, quantum poſteri Perſarũ ab honeſtiſſimis maiorum ſuorum uirtutibus degenerauerint. Quare honeſtiſſimum eſt, quod Aſſuerus tueatur publicam maiorum diſciplinam, & uetet, ne alter alterum ad ebrietatem potando cogat. Etſi autem hoc genus compotationis, & ebrietatis horrendũ eſt ſcelus, & dignum non ſolum externo ſed etiã æterno ſupplicio, tamen non eſt nouũ ſceleris genus in terris, ut ueterum morum ignari putant, ſed iam inde ab inuento uino, inter homines, plus quidem apud illas q̃ alias gentes, et magis illo q̃ iſto tempore, uſitatum tamen fuit. Nihil enim eſt uetuſtius

Sceleribus nihil antiquius.

in

in terris sceleribus & iniquitatibus. Quid horribilius est fratricidio? & tamen statim initio conditi orbis, frater interfecit fratrem. Quid abominabilius incestu? & tamen Loth uitiat filias suas uirgines, & Ruben cõtaminat nouercã suam, qui Patriarchæ q̃ propius aberant ab ortu huius mundi, eo minus debuissent tanta scelera designare. Idem sentiendũ est de helluatiõibus & ebrietatibus. Christus testatur ea scelera fuisse in orbe terrarum, etiam ante diluuiũ. In diebus Noe, inquiens, edebant, bibebant, &c. Et post diluuium, hoc scelus ita auctum est, ut etiam traxerit nomina sua a Gentibus. Herodotus scribit Scythas tanta intemperantia merum bibisse, ut quoties aliæ gentes uoluerint quempiam ad lar-

gius bibendum cohortari, dixerint, ἐπισκύθιζον, hoc est, Age Scytham, Hinc est, pergræcari, & Græci libe rius se in conuiuijs habuerint. Si cut & hodie, apud exteras natiões, Theutonicus uocat̃, qui uino plus nimio indulserit. Sed quo uetustius & usitatius est hoc uitium, eo horri bilius est in cõspectu Dei, & eo quo que seuerius a Domino punietur. Vę inquit Propheta, qui potentes estis ad bibendum uinum, & uiri fortes ad miscendam ebrietatem. Et Pau lus: Ebrioſi, inquit, non accipient hæreditatem regni Dei.

VASTHI QVOQVE REGINA FE. CIT CONVIVIVM. &c.)

Exemplum Regis, sequitur Re gina, quo magnificentius fiat conui uium. Huius reginæ nulla sit men

tio,

tio, quod ego meminerim, apud Herodotum, inter uxores Darij. Sed fuisse Dario, præter Atossam & Artystonam, etiam alias uxores, uidelicet, Parmy, filiam Smerdis Cyri, et Phedymam filiam Otanis, quæ Magum prodidit, ac filiã quo que Gobrys, ex Herodoto manife stum est: & solẽne fuit regibus Per sarum plures simul, non uxores tan tum, sed & pellices aut concubinas habere. Ex uxoribus igitur una fuit Vasthi, quæ propter excellentem suam pulchritudinem primas hoc tempore partes apud regem tene bat. Testatur autem Xenophon, ꝙ uxores ac uirgines Persarum et Me dorum, præstiterint tum forma tum corporis magnitudine. Cum igi tur regina Vasthi superauerit alias

Perſarum mulieres, pulchritudine ſua, manifeſtum eſt, eam fuiſſe excellentiſſimæ, & incredibilis uenuſtatis. Quod ſi tam modeſto & reuerenti fuiſſet animo erga regem maritũ ſuum, q̃ uenuſta fuit facie, nec turbatum fuiſſet tam magnificum conuiuium, nec deiecta fuiſſet ipſa a regia ſua maieſtate. Etſi igitur pulchritudo corporis donũ Dei eſt, & ſuã habet commendationem, tamẽ pulchritudo animi, quæ conſtat honeſtis uirtutibus & moribus, excellit omnia corporis bona.

ITAQVE DIE SEPTIMO, CVM ESSET HILARIOR &c.

Regina, ſummo formæ decore cõmendata, uocatur a rege, ut ornata regio diademate oſtentetur principibus. Ipſa autem uocanti regi minime obſe

obsequitur. Quare, ut melius intelligatur, quid hoc sibi uelit, Persarũ mores in uocandis mulieribus ad cõuiuia, cognoscendi sunt. Iosephus scribit legẽ fuisse apud Persas, qua constitutum fuit, ne uxores ad aspectum alienorum uirorum uenirent. Alij scriptores testantur, Persas ad misisse quidem in conuiuia pellices, non autem uxores. Sed legati Persarum apud Herodotum dicunt: Ημῖν νόμος ὄδε τοῖσ πέρσησι, ἐπεὰν δεῖπνον πρόθεθώμεθα μέγα, τότε καὶ τὰς παλλακὰς, καὶ τὰς κουριδίας γυναῖκας εἰσάγεσθαι πρέσβους.

Nobis Persis lex est, ut quoties magnam exhibemus cœnam, adhibeamus etiam in conuiuiũ pellices, & adulescentulas uxores. Ex his apparet, initio apud Persas, uxores non fuisse adhibitas in cõuiuia uiro

rum. Post uero, etiã hanc consuetudinem, ut alias, mutatã esse. Quare, cũ Assuerus uocauerit reginam Vasthi in conuiuium uirorũ, aut uoluit publico principum consensu ueterem Persarum consuetudinem abrogare, (Sic enim solent aliquoties Principes inter pocula, leges tum rogare, tum abrogare,) aut uoluit eam antea labefactatã exemplo suo negligendã docere. At nihil est pernitiosius rei pub. q̃ ueteres & honestas leges atq; consuetudines temere abrogare. Etsi enim ciuiles leges, quas tempora aliqua desiderarunt, sunt mortales, & temporibus ipsis mutabiles, ac plærasq; usus coarguit, et status aliquis reip. inutiles facit, tamen abrogare eas leges, atq; consuetudines, quæ præsentẽ habẽt utilitatẽ, et quas nul

lane

la neceſſitas abolere cogit, non eſt unã aut alterã legẽ tollere, ſed eſt ſanctitatem & maieſtatẽ omniũ legum minuere. Notus eſt uerſiculus ille, Moribus antiquis res ſtat Romana, uiris cꝫ. Et illud e Platone. ἃ μὴ κατέθου, μὴ ἀνέλου. Quæ non poſuiſti, ne tollas. Nihil nunc loquimur de prauа conſuetudine, quę certe omnino, quantum fieri poteſt, tollenda eſt, ut homines magis ſectentur honeſtũ, q̃ conſuetũ, ſed loquimur de ea conſuetudine, quæ habet honeſtas cauſſas, & præſentem utilitatẽ. Nec nobis ſermo eſt de religione, cuius ritus, ſi fuerint ex uerbo DEI, conſeruandi ſunt, ſi autem pugnant cum uerbo Dei, neceſſario abolẽdi ſunt. Sed eſt nobis ſermo de politicis legibus ac conſuetudinibus, in

quarum numero, & hæc Perſarum conſuetudo continetur, qua non licuit, uxores publicis alienorũ uirorum conuiuijs adhibere, quæ cum prudenter a maioribus inſtituta fuerit, non debuiſſet eam Aſſuerus exemplo ſuo, aut abrogare, aut antea concuſſam labefactare, ſed potius magna ſeueritate tueri. Quid autem de Regina dicemus? Nũ ſentiemus eam honeſte feciſſe, q̃ non obedierit Regi, uocanti ipſam ad conuiuiũ uirorum, contra ueterem Perſarum conſuetudinem & honeſtatem? Videtur quidem non iniquas facti ſui cauſſas habuiſſe, ſed ſi circũſtantias huius rei conſideraueris, quod fecit Regina, magis faſtu, & contemptu, q̃ recto iudicio fecit. Nam, cũ propter pulchritudinem fuerit prælata

alijs

alijs regijs uxoribus, non contenta fuit ſupremum inter mulieres locū in conuiuio tenere, et inter eas domi nari, ſed uoluit etiā dominationem habere in maritum regem. Quare, nacta ex mandato Regis occaſione oſtentandæ ſuę dominationis in ma ritum, palam negat ſe uocanti regi obſecuturam, ut ſignificaret coram omnibus mulieribus, ſe regis domi nam eſſe. Sed hic faſtus, & hæc arro gantia in muliere, digna eſt ſeuerita te. Etſi enim Rex præcepit ea, quæ uidebantur contra ueterem conſuetu dinem, quam debebat magis defen dere, q̄ uiolare, tamen quia per ſe nō impiū eſt, ſi mulier acceſſerit ad cōuiuium uiroꝝ, regij arbitrij fuit, hāc conſuetudinē in aula ſua uel ſer uare uel negligere. Huc enim perti

net uulgatum illud, Princeps legē dat, non accipit. Et: Quod Principi placuit, legis uigorem habet. Præterea mulier non est condita, ut dominet in maritū, sed ut subiecta sit marito. Notus est uersiculus ille.

γυναικὶ δ' ἄρχειν, οὐ δίδωσιν ἡ φύσις,

Natura non dedit imperare fœminis. Recte quidē, si per naturam intelligas, ut Basilius exponit, τὸν θεῖον λόγον, hoc est, diuinum uerbum, quo mulier uiro subiecta est. Dicit eī Deus ad mulierem. Sub uiri potestate eris, & ipse dominabit tibi. Quare, ut Regina Vasthi arrogantissime peccat aduersus Regē, ita iustissime postea plectitur diuortio, & abiectione a Regia maiestate.

VNDE IRATVS REX, ET NIMIO FVRORE SVCCENSVS, &c.

Vide

Vide quanta turba, & quanta rerum confusio in hoc conuiuio oriatur. Rex tanta cõtumelia a sua ipsius uxore, coram tot principibus, affectus, maxima iracundia accenditur, & e conuiuio fiunt conuitia, & comitia. Hic fere solet esse exitus nimiæ magnificentiæ, & sumptuosorum conuiuiorum. Etsi autem Rex grauiter succensetReginæ, tamẽ exhibet hoc loco obseruabile moderationis exemplum. Non eñ graſſatur in reginam tyrannicẽs, non interficit eam crudeliter, sed cohibet iram, habet comitia principum, seu Regiorum Iudicũ, ut collatis cõsilijs et sententijs deliberetur, q̃ supplicio cõtumelia regi illata, uindicanda, & arrogãtia reginę, puniẽda sit. Recte sane. Quid enim boni per iram fieri po-

teſt? Ira enim non tantum eſt, ut ille ait, principium inſaniæ, uerumetiã ipſa eſt inſania, ut alius quidam dixit, breuis quidem, inſania tamen. Sumpſiſſem, (inqt Architas Tarentinus, ad uillicum ceſſatorem,) a te ſupplicium, niſi iratus eſſem. Et hæc ſunt Ethnicorum tũ dicta tum facta. Quid autem nos Chriſtiani? Non aliud commodius tempus ſumendi, de ſceleratis, aut in nos contumelioſis, ſupplicij, exiſtimamus, q̃ tẽpus iræ iam efferueſcentis. Quare fieri non poteſt, ut non deſignemus pœnitenda & dolenda. Iraſcimini, inquit Pſalmus, & nolite peccare. Et Paulus: Sol non occidat ſuper iram ueſtram. Sed uidendum eſt, qui fuerint hi ſapientes & Iudices, ad quos Rex hanc cauſſam iudicandam retulerit.

lerit. Herodotus de Regijs Iudicib. in Persia, Sic ait: οἱ δὲ βασιλήϊοι δίκασαι, κεκριμένοι ἄνδρες γίνονται πρὸς ἐόν, ἐς οὗ ἀποθάνωσι, ἢν σφι μὴ πρήγεσθαί τι ἄδικον μέχρι τούτων. οὗτοι δὲ τοῖσι δίκας δικάζουσι, καὶ ἐξήκασται τῶν πατρίων θεσμῶν γίνονται, καὶ πάντα ἐς τοῦτους ἀνακέαται. Fiunt Regij Iudices, delecti e Persis uiri, qui & hoc officio funguntur, donec moriãtur, nisi si quis aliquid in iuste perpetrauerit. Hi ius dicũt, & sunt interpretes legum patriarum, ac omnia in illis sita sunt. Hęc regiorum Iudicum institutio a maioribus Persarum prudentissime excogitata est. Re enim ipsa comperierunt, φ si Regi liberam permittant potestatem, facile degeneret in tyrannidem. Inuenies quidem aliquot optimos principes, qui sine cer

tis legibus remp. iustissime admini strarunt, sed maior solet esse malo rum, q̃ bonorum Principum nume rus. Quare imperia alicubi sic con stituta sunt, ut non esset Regibus li bera potestas quiduis faciendi, pro sua libidine, sed additæ sunt leges, & legũ custodes, qui coercerẽt cupi ditates Regum, & continerent eos in officio. Tales fuerunt apud Lace dæmonios Ephori. Tales fortassis sunt in Germania, septem Principes electores. Sic & apud Persas fuerũt Regij Iudices, penes quos ea erat le gũ Persicarũ administratio, ut opor tuerit etiam Reges in eo stare, quod ab illis iudicatũ esset. Hęc imperij forma optima quidem est, & huma nissima, & ubicunq; est, maxima di ligentia conseruari debet. Sed qua

lis

lis qualis sit hoim ordinatio, nisi Dominus regnũ suo fauore prosequat & tueatur, parum proderit humana prudentia ad prohibendam tyrannidem. Vide, obsecro, mihi exemplũ in hoc Persico imperio. Etsi .n. Regij Iudices ad coercendã regiã libidinẽ instituti fuerunt, tñ cum Cambyses, crudelissimus tyrannus, interrogaret eos, nũ liceret ipsi iuxta leges, sororẽ suã in uxorẽ ducere, metuebãt potentiam ac tyrannidẽ eius, & respondebant, se nullam quidem inuenire legem, qua liceat fratri sororem ducere, sed aliam esse legem, qua liceat Regi Persarum facere, quod libet. Hoc certe multo magis fuit, autoritatem legum tollere, q̃ si iudices permisissent libere, ut Rex sororem suam duceret. Quare, ut maxima

danda est opera, quo iustæ sint leges, & iusti eorum administratores, ita præcipuum studium in hoc ponendum est, ut inuocetur nomẽ Domini, quo ipse sua potentia & clemẽtia conseruet ac tueatur imperium. Tanta enim est malorum turba, tanta est hominum impietas, tanta est etiam Satanæ in quamuis legitimã remp. sęuiẽtis crudelitas, ut nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra uigilet, qui custodit eam.

RESPONDITQVE MAMVCHA AVDIENTE REGE ET PRINCIPIBVS &c.)

Oratio Mamuchę, unius e regijs iudicibus, initio exponit peccatum Reginæ, quod duplici nomine graue est, altero, ꝙ Regina inobediens & contumeliosa fuerit in maritum, eumꝙ regem, & tam potentem regem

gem, idq; publice, coram tot principibus, ac in eo conuiuio, quod ad ostẽtandam regiam maiestatem institutum erat: altero, q; exemplo suo concitatura sit seditionem mulierum aduersus maritos suos, in uniuerso imperio Persarum. Vulgabitur, inquit, hoc factum Reginæ ad omnes mulieres, quæ exemplo Reginæ cõtemnent uiros suos, & paruipendẽt imperia maritorũ. Itaq; Vasthi plus nocebit exemplo, q̃ peccato. Deinde commemorat, quam pœnam cõtumatiæ suæ Regina dare debeat, uidelicet, q; debeat omni regio honore priuari, & repudiari. Postremo censet publicum edictum uulgandũ esse in uniuersum imperium Persarum, & præcipiendum, ut mulieres obediant maritis suis, & agnoscant

eos dominos ac principes ſuos. Hæ ſunt partes huius orationis. Et in hanc ſententiã pedibus quoq; itur. Nam Regina Vaſthi repudiatur, & abñcitur, ne habeat amplius regium honorem. Digniſſimum arrogantiæ & contumatiæ ſupplicium. Quę noluit eſſe contenta ſua legitima inter mulieres excellentia & dominatione, ſed uſurpauit ſibi etiam illegitimam dominationem in maritum, iuſtiſſime plectitur priuatione omnis excellentiæ & dominationis. Et quæ affectatione imperij effert ſe ſe dicioſe ſupra maritũ, ea optimo iure ab omni imperio deñcitur. Hoc enim eſt iudicium Dei, quod Maria in carmine ſuo recitat. Diſpergit ſuperbos mente cordis ſui. Deponit potentes de ſede & exaltat humiles.

Dein

Deinde ſequitur publicū edictum, quod in his comicijs conſtitutū eſt, & uulgatum non in unam tantū regionem, nec in una lingua, ſed diuerſis linguis ad uniuerſas prouincias Perſici imperij. Sententia autem edicti fuit, ut non mulieres, ſed uiri ſint dñi & principes in domibus ſuis. Quid ergo de hoc edicto dicemus? Ridiculum quidem uidetur, ꝙ talis res in publicis imperij comitijs tractetur, & argumentum eſt, quod dominatio in Perſico imperio magis fuerit penes mulieres, q̄ uiros: neceſſarium autem eſt edictum, nec recens ab his Perſicis principibus excogitatum, ſed iam inde ab initio orbis terrarum a Domino Deo noſtro conſtitutum. Ad mulierem em̄ dicit: Sub poteſtate uiri eris, & ipſe

Mulieres dominari non debent.

dominabitur tibi. Hoc non de una Eua intelligendum est, sed de omnibus mulieribus. Mulieri, inqt Paulus, docere non permitto, neq; autoritatem usurpare in uiros, sed esse in silentio. Et iterum: Vxores proprijs uiris subditæ sitis, ueluti Domino, quoniam uir est caput uxoris, quemadmodū & Christus est caput Ecclesiæ. Etsi autem sic constitutum est tam diuinitus, q̄ in comitijs potentissimæ Monarchiæ Persicæ, ut uiri dominentur in familia quisq; sua, tamen hæc ordinatio nunq̄ ita obseruatur, ut non inueniātur domus, in quibus mulieres nō dominent. Hęc ꝓfecto magna est seditio, aduersus naturalem Dei ordinationem. Cautsa uero huius seditionis est, non solum impotens & indomita natura mulierum, sed etiam ignauia & im-

pietas uiroꝝ, qui cũ non obsequan tur uocationi & uolũtati Dei, sed du cant aut ignauam, aut sceleratã, aut impiam uitã, non mirum est, ꝙ nec ipsorum uocationi et uoluntati obse quant mulieres. Quare, qui uult ca uere a seditione domestica, et conser uare obedientiam familiæ, primum oĩm curare debet, ne ipse sit sedicio sus aduersus Deum, & ut præstet su am Deo obedientiam.

CAPVT II.

HIS ITA GESTIS, POSTQVAM REGIS ASSVERI DEDIGNA TIO &c.)

Assuerus, sedata iam iracundia, facit inter aulicos suos mẽtionẽ Va sthi repudiatę. Siue autem pœnitue it eum facti, siue alia quadam occa

sione fecerit mentionem Vasthi, certe non licuit ei sententiam Regiorũ Iudicum retractare, & abiectam reducere. Tanta enim fuit horum Iudicum autoritas, ut sententiæ eorum, etiam Regi standum erat. Quare ministri aulici hortantur regẽ ut cõgregatis multis uenustissimis puellis, seligat ex ipsis pulcherrimã omnium in locum Vasthi. Quod consilium regi ualde placet. Itaq; quærũtur in toto Persico imperio uirgines pulchritudine & uenustate præstantissimæ. Hæc est hypotysis morum aulicorum, & uitę principum. Rex, & si habebat alias plures uxores, tamen quia consueta uilescunt, fastidit eas. Ministri autem seruiunt cupiditati Regis, & quo uident animum eius propendere, eo cohortationibus

bus ſuis impellunt. Etſi autem licuit eo tempore uni uiro plures ſimul uxores habere, & Eſther hac occaſione puenit ad Regiam maieſtatem, tamen non placuit Deo, ut Reges plurimas ſimul haberent uxores. De Rege Iſraelis dicit ſcriptura: Non habebit uxores plurimas, ne auertatur cor eius. Ac Polygamia, uidelicet, cum unus uir plures una ſimul uxores habet, pugnat cum naturali lege. Nam quod Deus dixit: Erunt duo in carnẽ unam, naturalis eſt lex, qua unus uir, uni tantum uxori coniungitur. Vir enim, poſtq̃ duxit uxorem, non habet ius proprij corporis, ut Paulus ait: Quare una ducta, non poteſt ſeſe alteri addicere. Et ut uxor uni uiro addicta, non poteſt ſeſe alteri uiro tradere, ita nec

Plures ſimul uxores habere.

poteſt ſeſe alteri uiro tradere, ita nec maritus, quando nec hic nec illa pro prij corporis ius habeat. Quid ergo dices de Patriarchis, qui plures ſimul uxores habuerunt? num peccauerunt aduerſus legē naturę? Quod Patriarchæ fecerunt, pugnauit quidem cum lege naturæ, ſed non peccauerunt contra Deū, quia quod fecerunt, diuina conceſſione fecerunt. Cain duxit ſororem ſuam in uxorē. Etſi autē Cain alioqui impius fuit, & hoc coniugium eſt contra legem naturæ, tamen hac in parte nō peccauit aduerſus Deum, quia neceſſitas excuſauit factum. Iacob duxit duas ſorores in uxores. Hoc duplici nomine fuit contra legem naturæ, et tamen Deo concedente & conniuente, non peccauit.

Patriarchæ Polygami.

Ἀνθρώποις ἢ θεῶν διδόντων.

εἰκὸς

εἰκὸς ἁξαμαρτάνειν.

Sic et alij Patriarchę fuerũt πολύγαμοι, non ut in exemplũ semper durabile traheretur, sed ut conniuente Deo, coniugium suo tempore ad ordinationem naturalis legis rediret. Viderunt etiã Ethnici πολυγαμίαν, (hoc est, cum unus uir duas simul uxores habet) non esse honestam. Hermione apud Euripidem ait:

οὐδὲ γὰρ καλὸν
δύοιν γυναικοῖν ἄνδρ' ἓν' ὑνίας ἔχειν,
ἀλλ' εἰς μίαν βλέποντες δύνειαν κλίνειν,
Στέργουσιν, ὅστις μὴ κακοῦς οἰκεῖν θέλει.

Et iterum:

Οὐκ ἔστ' ἂν ἓν στόμα
λέξαι ἐπαινέσω βροτῶν.

Mulieres, inquis, ista loquuntur. Recte. Sed honesti sensus etiam est in mulieribus. Et Poeta, ą facit mu

lieres ista loqui, interpres est naturalis legis. Sed quocunq; loco istud Ethnici dictū habeatur, certe Christus perspicue dicit: Non iam sunt duo sed una caro. Cum igitur cōiugium faciat ex uiro & mulıere, unā carnem, natura coniugij ferre nō potest, ut uir plures una simul uxores habeat, & si sanctus quispiā Patriarcha habuit simul plures uxores, id non factum est lege approbante, sed Deo concedente. Nam & naturalis lex est: Non occidas, et tamen Deus concedit legitimo magistratui, ut occidat impune sceleratos. Similiter naturalis lex est. Non fureris, & tamen Israelitæ non peccarunt, cum furarētur Aegyptijs aurea uasa, Domino Deo nostro hoc furtum cōcedente. Sic & lex naturalis est. Vnus uir, u-

nam

nam tantum habeat uxorē, Patriarchæ tamen non peccauerunt, ꝙ habuerint ſimul plures uxores. Quas enim habuerunt, concedente & conniuente Deo habuerūt, ſed cum perſonalia priuilegia non abrogent generalem legem, ſemper manet hæc naturæ lex, ꝙ uni uiro, unam tantū uxorem habere liceat, firma et perennis. Ac de hoc quidem negocio hactenus.

ERAT VIR IVDAEVS IN SVSIS CIVITATE VOCABVLO MARDOCHAEVS, &c)

In hoc loco manifeſte habes, ꝙ Eſther dicta ſit Adaſſa, quod nomē conuenit cum Atoſſa, quam Herodotus facit uxorem Darij, ſeu Aſſueri. Sed quia dicit eam fuiſſe filiam Cyri, et hęc res a noſtro ſeculo remo

tissima est, non potest certo affirmari, Esther esse Atossam Herodoti, & tamen sentiendum est, uerissimum esse, quod nobis sacra scriptura tradit. Porro, Esther fuit filia fratris Mardochæi, qui Mardochæus dux it genus suũ a Kis patre Saul, de tribu Benlamin. Et is Mardochæus cũ esset natus annos circiter decem, abductus fuit cum Iechonia rege Iuda in exilium, de qua abductione scriptum est, iiij. Reg. xxiiij. Dicitur aũt uixisse decem & octo annos plus q̃ Isaac, hoc est, annos cxcvij. aut cxcviij. Fit & Mardochæi mẽtio inter principes. Esd. ij. Nehem. vij. Quod si is Mardochæus, cuius Esdras & Nehemias meminerunt, idẽ est, cum Mardochæo, qui in hoc libello describitur, appareț eum mag

Mardochæus

næ

nę fuiſſe inter ſuos autoritatis. Etſi enim reuerſus dicitur cum alijs prin cipibus ad Hieruſalē, tamen res ip ſa teſtatur, ꝙ poſtq̄ finitimæ gen tes prohibuerunt Iudæos ædificio templi, redierit una cum alijs princi pibus ad aulam Perſicā, ut in ſtatio ne eſſent pro populo Dei, & qua cunqꝫ poſſent occaſione, impetra rent, ut & templū & urbs reſtaura rent. Additur & hoc, ꝙ Eſther ami ſerit parentes ſuos in exilio, & Mar dochæus patruus eius ſuſceperit eā in ſuam curam. Hæc nō temere cō memorātur a ſcriptura, ſed ut admo neat nos, q̄ conferamus inter ſe res geſtas, in Eſther, & cognoſcamus admirabilē clementiā Dei. Paren tes enim Eſther abducti ſunt in exi lium, & quo excellentiores fuerūt

inter ſuos, eo grauius eis fuit exiliũ. Deinde moriuntur in exilio, et relinquũt poſt ſe filiam orphanam. Quare Eſther uidetur longe omnium miſerrima & abiectiſſima, ꝙ non ſolũ maiores eius electi fuerint e patrijs ſedibus, & captiui abducti in ſeruitutem impiorum regum, uerumetiã ipſa deſtituta ſit ſolatio parentũ ſuorum in exilio & ſeruitute. Sed hic uide mihi immenſam dei clementiã, & curam, qua is afflictos amplectit. Puella miſerrima, primum quidem gubernante Deo, ſuſcipitur in curã patrui ſui Mardochæi, uiri optimi, & pijſſimi. Deinde eligitur in reginam totius Perſicæ Monarchiæ. Quomodo potuiſſent parentes eius tanta Dei beneficia, nõ dico ſperare, ſed ſaltem optare? Viſi ſunt abduci

duci in exilium & seruitutem, sed ec ce filia eorum in regiam maiestatem euehitur. Visi sunt morte sua relinquere filiam omnium hominum auxilio destitutam, sed Deus extollit eam in tantam sublimitatem, ut sit omnibus hominibus uenerationi. Quid ergo in exilium abduci, aliud est, q̃ in regnum extolli? quid a parentibus relinqui aliud est, q̃ in Dei & hominũ curam suscipi? Sed hoc, inquis, uni Esther cõtigit. Quot autem fuerunt interim millia puellarũ Iudæarum, quarum parentes, ut miserrima fuerunt seruitute oppressi, ita reliquerunt ipsas post se in omni genere calamitatis, quæ tantũ abest, ut euectæ sint in regium honorem, ut in extrema paupertate uix potuerint famem depellere? Hic ergo ob

ſerua mihi, ꝙ hæc hiſtoria non ſit uulgata ſcripto in Eccleſiam Dei, ꝓpter unam Eſther, ſed propter uniuerſam Eccleſiam. Quæcunꝙ, inqt Paulus, præſcripta ſunt, in noſtram doctrinã præſcripta ſunt, ut per patientiam & conſolatiõem ſcripturarum ſpem habeamus. Deinde, ſalus & liberatio e miſerijs & calamitatibus nõ fuit uni Eſther diuinitus ꝓmiſſa, ſed omnibus inuocãtibus nomen Domini ex fide. Inuoca, inqt, me in die tribulationis, & eruã te, & honorificabis me. Et iterũ: Omnis qui inuocauerit nomen Domini ſaluus erit. Præterea, Deus beneſecit miſeræ puellæ Eſther, non propter ipſam tantum, ſed propter uniuerſam Eccleſiam. Etſi enim Deus nõ ſignificauit hoc beneficio, ꝙ uelit

lit quamuis puellam extollere in regiam huius seculi maiestatem, tamẽ confirmauit hoc exemplo suam promissionem, quo prædicat se esse patrem orphanorũ, & saluatorẽ miserorum. Quare etiamsi multæ aliæ puellę in captiuitate Babylonica, nõ emerserint ad regiam amplitudinẽ, tamen si fuerunt piæ, & inuocauerunt Deum ex fide in sua afflictiõe, non perierunt, sed tanto maiorem consecutæ sunt apud Deum salutẽ, quanto miseriores fuerunt in hoc seculo apud homines. Ac liberauit eas Dominus a malo, & fecit ipsas participes cœlestis maiestatis, qua fœlicitate nihil potuit maius excogitari.

MORTVISQVE PATRE EIVS AC MATRE, MARDOCHAEVS ADOPTAVIT EAM SIB, &c.)

Exemplum, quo cognati monentur, ut orphanos mortuorum cognatorum, omni, quo possunt, officiorum & beneuolentiæ genere adiuuent. Etsi enim Deus uocat se patrē orphanorum, tamen exigit, ut superstites uel amici uel proximi quicq; sint ipsius συνεργοι. Non deerunt, inquit, pauperes in terra habitationis tuæ, idcirco præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo, egeno & pauperi, qui tecum uersatur in terra. Quis autem pauperior et miserior est orphanis & pupillis, qui uel a parentibus in paupertate relicti sunt, uel si habent facultates, non possunt eas præ ætatis & rationis imbecillitate administrare? Oportet igitur superstites amicos & proximos esse ministros, coopatores & organa Dei, ut in ipsis

sis luceat cura, quam Deus pro orphanis suscepit. Sed pupilli, inquis, cum adoleuerint, pessimam solent gratiã referre tutoribus suis. Sit sane ita. An tu propter hominum ingratitudinem, non sectaberis uocationem Dei? Homines non rependunt beneficia tua, at Deus repẽdet. Profecto multo certior & liberalior debitor est Deus, q̃ homo. Ac tutor qui suscipit diligentem curam orphani, non tam orphano, q̃ sibi benefacit, id quod Deus hoc exemplo Mardochæi testatur. Cum em̃ Mardochęus summa cura educasset orphanam Esther, & postea Esther fuisset in reginã electa, Deus sic benefecit Mardochæo, ut summũ honorem apud Assuerum consequere

tur, quemadmodum ſcriptum eſt capite vi. & viij.

CVMQVE PERCREBRVISSET IMPERIVM REGIS, ET IVXTA MANDATVM ILLIVS, &c.)

Inter oēs pulcherrimas puellas, Eſther gratioſiſſima eſt apud Eunuchum. Non potuiſſet autē tam gratioſa eſſe, niſi Deus antea proſecutus eam fuiſſet fauore ſuo. Nam hominum gratia aut nulla eſt, aut euanida, ſi Deus non faueat. Quare dāda eſt opera ante omnia, ut Deus cōplectatur te fauore ſuo, id quod fiet, ſi ex fide ambulaueris in uocatione DEI.

QVAE NON INDICAVIT EI POPVLVM ET PATRIAM, &c.

Ergo ne Mardocheus iuſſit Eſther mentiri? Abſit hoc a pio uiro. Sed iuſſit

iussit eam dissimulare & cęlare fami liam suam. Aliud est mentiri, aliud cælare. Illud est uanorum & impio rum hominum, hoc autem est pru dentium, qui multa honestis de cau sis suo tempore dissimulant. Sic A braham dissimulauit apud Aegypti os & regem Abimelechum, Saram esse uxorem suam. Sic Helizæus cir cumdatus ab exercitu Syrorum, dis simulat se prophetam illum esse, quem quærerent. Hæc dissimulatio non est impietas, sed magna pruden tia. Mendatio autem nihil est, nec turpius, nec fœdius. In honestissima est oratio quam Herodotus affingit Dario huic Assuero nostro. Sed cur nō recito eam? Ἐνθα γάρ τι δεῖ ψευ δὸς λέπειν, λεγέσθω. ὑγιὲς αὐτοῦ πλιχόμε θα εἴτε ψευδόμενοι, ἢ οἱ τ ἀληθείη ἀναχρεώ

μενοι. ὁι μένγε ψεύδονται τότε, ἐπάν τι μέλλωσι τοῖσι ψεύδεσι πιθάντες κερδήσεσθαι. ὁι δ' ἀληθίζονται τι, ἵνα τῇ ἀληθείῃ ἐπιφάξωνται κέρδος, καί τις μᾶλλον σφίσι ἐπιβάπτηται. οὕτω ὦν ταῦτα ἀσκέοντες, τοῦτο πρηχόμεθα, εἰ ἢ μηδὲν κερδήσεσθαι μέλλοιεν, ὁμοίως ἄν ὅ, τε ἀληθίζόμενος ψευδὴς εἴη, καὶ ὁ ψευδόμενος ἀληθής.

Vbi expedit mendaciũ dicere, dicatur. Idem enim affectamus, & qui mendaciũ & qui ueritatem dicimus. Nam illi tunc mentiuntur, cũ persuasione mendaciorũ sunt aliquid lucrifacturi, hi autem uerum dicũt, ut ueritate aliquod lucrum cõsequãtur. Et alius huc, alius illuc propensus est. Ita non idem factitando idẽ tamen obtinemus. Quod si nihil lucrifaciendum est, peræq; & uerax foret mendax, & mendax uerax. Quid

is

is, quisquis ita sentit, aliud audiat, q̃id, quod est in Comœdia, Sterquilinium? Nam humanæ quoq; rationi notum est, præferendam esse honestatem, utilitati, nec quicquam esse utile, nisi idem etiam sit honestũ. Quid autẽ est inhonestius, quid turpius mendacio? Disce saltem ab autore mẽdacij, quanta sit mĩdacij turpitudo. Diabolus, inqt Christus, mẽdax est, & eius rei pater. Quanto honestius loquitur Achilles apud Homerum.

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν,
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δ' ἐίπῃ.

Odi etenim, ceu clauſtra Erebi quicunq; loquuntur
Ore aliud, taciteq; aliud ſub pectore claudunt.

QVI ET AMBVLABAT QVOTIDIE ANTE VESTIBVLVM, &c.

Diligens cura Mardochæi pro-

Esther idcirco describitur, ut conferatur cum eo honore, quem postea Mardochæus consecutus est, & admoneantur tutores, ut exẽplo Mardochæi non pigeat ipsos curas quãuis molestas ꝓ orphanis suscipere, Tempus enim erit, quo omnia liberalissime rependentur.

CVM AVTEM VENISSET TEMPVS SINGVLARVM PVELLARVM, &c.

Vide maximum luxum, quo Regi Persarum uxores & cõcubinę ad libidinem præparatæ fuerunt. Tradunt apud Sybaritas quondam hũc morem fuisse, ut mulieres abusq; anno priori ad conuiuium uocarent, quo se per ocium, auro uestibusq; exornare possent, ita & hoc loco describitur Persarum mos, q̃ quas uirgines

gines traditurі eſſent coniugio Regis, eas duodecim menſes, hoc eſt, totū annum uarijs unguentis & pigmentis emundarent atq; exornarẽt. Narrat et Cicero aliud genus luxus, quo Reges Perſarum ad exornãdas uxores ſuas uſi ſunt. Solent, inquiens, Barbari reges Perſarum, ac Syrorum plures uxores habere. His autẽ uxoribus ciuitates attribuere hoc modo. Hæc ciuitas mulieri redimi cũlum præbeat. Hæc in collum, hęc in crines. Ita populos habent uniuerſos, non ſolũ conſcios libidinis ſuę, uerumetiam adminiſtros. Tantum luxum ne Ethnici quidem ipſi approbarunt. Et tamen pia Eſther neceſſe habuit Perſicæ cõſuetudini ſeruire, & potuit bona conſcientia ſui exornationem pro more eius gentis, in

qua captiua erat, ferre. Nam, quod ad ipſam attinet, nihil harum rerum affectauit. Non poſtulauit quicq̃, inquit ſcriptura, niſi q̃d Hegai Eunuchus regis, cuſtos mulierum, ſua ſponte dabat. Et in oratiõe ſua, (q̃ tamen Apocryph a habetur) ſic ait ad Dominum: Adiuua me ancillam tuam, nullum aliud auxilium habẽtem, niſi te DOMINE, qui habes oĩm ſcientiam, & noſti quia oderim gloriam iniquorum, & deteſter cubile incircumciſorũ, & omnis alienigenę. Tu ſcis neceſſitatem meam, q̃ abominer ſignũ ſuperbiæ & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meũ in diebus oſtentationis meæ, &c. Quare cũ Eſther ſeruierit ex fide cõ ſuetudini quæ per ſe nõ fuit impia, ..nto maiorem gratiam cõſecuta eſt

apud

apud Deum, quanto magis ſpiritu Dei, q̃ Perſicis unguentis emundari deſiderauit.

DVCTA EST ITAQVE AD CVBICVLVM REGIS ASSVERI MENSE DECIMO, &c.

Qui menſis apud Hebræos טבת Tebeth dicitur, reſpõdet noſtro Decembri. In hoc ergo menſe Eſther, ante exul & captiua, traditur Regi Aſſuero, & non multo poſt, ornat̃ regio diademate, ac fit Regina. Libet aũt nũc illud Pſal. recitare. Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cœlo & in terra. Suſcitans a terra in opẽ & de ſtercore erigens pauperẽ. Vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi ſui? Non enim ſentiendum eſt, Eſther creatã

esse Reginam, propter se tantum, aut etiam propter Iudæos, ut postea per eam in summo periculo seruarẽtur, sed propter uniuersam Ecclesiam, ut hoc exemplo illustraretur clemẽtia Dei, & excitaretur fides omnium afflictorum in Ecclesia. Etsi enim non omnes afflicti, inuocantes Deum ex fide, creantur externi reges, tamen quemadmodum Deus tunc decernebat maiestatem regiam ipsi Esther, cum non solum relinquebatur a parentibus suis orphana in exilio, sed etiam cum parentes abducerentur, ipsa nondum nata, a Hierusalem in exilium & seruitutem, ita Deus tunc maxime omnium meditatur benedictionem et salutem, cum immittuntur nobis afflictiones & interni tiones. Itaq; Spiritus sanctus testat̃

hoc

hoc exemplo Esther, ꝙ aduersa fortuna sit pijs officina fortunę prosperrimæ.

ET IVSSIT CONVIVIVM PRAEPARARI PERMAGNIFICVM, &c.

Instituitur conuiuium nuptiale. Supra autem dictum est de apparatu conuiuiorum Persicorum. Et meminit Herodotus in καλλιόπῃ. Superato enim Mardonio Persarꝝ duce, et capta omni suppellectili eius, Pausanias iussit pistores & coquos cœnam sibi, uti Mardonio, instruere. Quod cum illi fecissent, tum Pausanias intuens lectos aureos argenteosqꝫ probe instratos, mensas etiam aureas & argenteas, magnificumqꝫ cœnæ apparatum, obstupuit, &c. Cæterum, cum scriptura ait, Assiuerum dedisse requiē uniuersis prouin

cijs, etsi quidam intelligunt de remissione tributorum illius anni, tamen ueriſimilius eſt Aſſuerum inſtituiſſe in nuptijs feſtum diem in omnibus prouincijs agendum, ut regię nuptiæ publico ocio inſignirentur. Quod autem Rex in his nuptijs dona dederit conuiuis, cum tamen ſolenne ſit, ut conuiuæ honorent nouos coniuges donis ſuis, quid ſibi uelit, e Xenophonte manifeſtū eſt. Sic enim ſcribit Xenophon, libro viij. κύρου παιδείας. Cyrus hoc incepit, quod hac quoq; tempeſtate in regibus perſeuerat, in magnis muneribus faciendis. Cui enim ditiores amici oſtenduntur quam Perſarum Regi? Quis etiam pulchrioribus uidetur ſtolis ſuos ornare quam Rex? Cuius dona uere regia cognoſcun

tur

tur, armillæ, torques, equi frenis insignes aureis. Non enim licet illic cuiquam hæc habere, cui rex non dederit &c. De magnificentia uero, quia nuptiæ etiam nostro tempore, celebrari solent, sic sentiẽdum est, quod etsi non est necessaria ad confirmationem coniugij, tamen si est moderata & suæ cuiusq; conditioni conueniens, non est damnanda. Honorabile enim est coniugium inter omnes ait Apostolus. Et cum honestas exigat, ut publicæ sint nuptiæ, q̃ manifestum sit, uirũ habitare legitime cum muliere, utilis est magnificẽtia, ut per eam diuulgetur, quod uicinis debet esse notum. Huc accedit, q̃ cũ imbecillis animus sollicitatur in infœlicitate coniugij, (sunt enim uaria coniugij incõmoda) putare De

Magnificẽtia nuptiarum.

ũm non esse huius coniunctionis autorem, sed potius Satanam, ꝑdest nonnihil recordatio magnificentiæ nuptiarum, ut ex ea animus confirmetur, & cognoscat coniugium suum ex Deo esse, ꝙ sit legitima & publica ordinatione approbatum. Quare nuptiarꝝ magnificentia, etiã pietatem adiuuare potest. Sed hic magnopere cauendũ est, ne quis in instituenda magnificentia nuptiarꝝ, ultra septa, quod aiunt, transiliat.

QVICQVID ENIM ILLE PRAECIPIEBAT, OBSERVABAT ESTHER, &c.

Hæc est magna cõmendatio pietatis & modestiæ Esther. Etsi enim electa erat in Reginam, non tamen despiciebat, non fastidiebat patruũ, nutricium suum Mardochæum, sed ex autoritate eius pẽdebat, ut antea.

Hoc

Hocuere est obsequi huic mandato Dei. Honora parentes, ut longo uiuas tempore.

EO IGITVR TEMPORE QVO MARDOCHAEVS AD REGIS IANVAM &c.

Eunuchi insidiantur uitæ Regis. Mardochæus autẽ indicat Regi per Esther insidias & coniurationem Eunuchorum aduersus Regem. Itaque Eunuchi fiunt ex patibulo pensiles. Principio obseruabis hic, quantis periculis uita regia obnoxia sit, ideo que commendatur mediocre genus uitæ, & notus est uersiculus.

πολλὰ μέσοισιν ἄρισα, μέσος θέλω εἶν πόλι εἶναι.

Hi multa habẽt cõmoda, q̃ in mediocri uitę genere uersant. Malo igit̃ in ciuitate mediocris esse, q̃ supremus.

Deinde uide, quanta clementia

& liberalitate Deus rependat ea beneficia, quæ pῆs præstãt. Assuerus benefecit orphanæ Esther, & elegit eam in reginã. Deus igitur uicissim benefacit Assuero, & efficit, ut per Mardochæũ & Esther uitã suã conseruet. Itaq; Assuerus uisus quidẽ est miseræ puellę magnũ beneficiũ prę stare, sed eo sibi ipsi maxime benefecit. Habes & hoc loco exemplũ diuinæ seueritatis aduersus insidias inimicorum. Assuerus enim consecutus est imperiũ diuina ordinatiõe, quẽ admodum supra indicauimus. Quare, etsi nõ sectatus est uerã iusticiã, tamen Eunuchi iniquissime & sedicioſissime agunt, cp insidientur uitę eius, ideoq; iusto iudicio Dei fit, ut insidiæ ipsorę patefiant, & ipsi extremo supplicio afficiãtur. Ecclesiastes

ait;

ait: In cogitatione tua regi ne detrahas, & in secreto cubiculi tui nõ maledixeris diuiti, qa & aues cœli portabunt uocem tuam, & qui habent pennas, annunciabunt sententiam. Preterea commendatur hic fidelitas Mardochæi erga regem, quo exemplo admonẽtur subditi, ut quoquo modo possunt, salutem magistratus sui tueantur. Sed quid? inquies: An non hæc proditio fuit, qꝑ Mardochæus patefaciat clandestina cõsilia Eunuchorum, ut comprehendantur & suspendantur? Non certe fuit illegitima proditio, sed legitima indicatio iniquarum insidiarum, & defensio Regis, quam unusquisqꝫ fidelis subditus debet magistratui suo. Sic & hi, qui ex mãdato magistratus indicant cõpotatores, & blasphe

Legitima indicatio non est proditio.

mos, non ſunt proditores, ſed conſeruatores publicæ honeſtatis. Prodere em̃, non eſt, nocentes legitime indicare, ut aut caueri aut puniri poſſint, ne noceant, ſed eſt inſontẽ, illegitimis aduerſarijs ac inſidiatoribus conſilio aut indicationi ſua tradere, quemadmodũ Iudas prodidit Chriſtũ Iudæis, & Ceilani ꝓdiderunt Dauidẽ Sauli. Poſtremo, uides Mardochæum in præſentia nihil quidem mercedis pro ſua fidelitate reportare, ſed cũ expectaret Dñm, fidelitas eius poſtea liberaliter cõpenſata eſt. Obtinuit em̃ ſecundum locũ poſtregem. Quo exemplo monemur, ne benefaciendo defatigemur. Etſi em̃ benefacta in præſentia nõ cõpenſantur, eſt tamẽ Deus in cœlo, q̃ præſti ti obſequij nunq̃ obliuiſcitur.

CAp.

CAP. III.

POSTHAEC REX ASSVERVS EXALTAVIT AMAN, &c.)

Aman exaltatus ab Assuero in magnum honorem, abutitur potesta te sua ad perdendum populum Dei. Itaq; est exemplum impijssimi & crudelissimi tyranni aduersus Ecclesiã Dei. Videamus autẽ initio quis fuerit hic Aman. Nam scriptura dicit eum fuisse Agagiten, hoc est, ut Iosephus interpretatur, Amalechiten, In primo enim libro Regum, capite decimo quinto, Agag rex fuit Amalecitarum, quẽ occidit Samuel. Quare sentiunt Aman fuisse de stirpe huius Agag. Hoc si uerum est, ut appa-ret, quomodo permittit Deus, ut

Aman exaltetur in tantū honorem, cum tamen Moſe e ſpiritu ſanctu af firmet, Deum ipſum perpetuo pug naturū cum Amalec. Manus, inqui ens, ſuper ſolium Domini, bellum Dei erit contra Amalec a generatio ne in generationem? An Deus obli tus eſt ſuæ promiſſionis? Nihil cer te minus, ſed nunc præcipue recorda tur eius, ut manifeſto exemplo do ceat, ſe nunq̄ obliuiſci uerbi ſui, e tiamſi lōgiſſimo temporis interual lo uideatur prorſus interīſſe. Nam cum Deus coniecturus erat Amā & totam familiam eius, quæ erant reli quiæ Amalecitarum, in extremam internitionem, permittit, ut Aman exaltetur in maximum honorem. Quemadmodū enim Dominus ex altaturus pios, ſinit eos prius deiici,

cuius

cuius rei exempla sunt, Ioseph, Dauid, Daniel, adeoq; Christus ipse filius Dei, ita Dominus deiecturus impios, sinit ipsos exaltari, quod uides in Pharaone, Saule, Nebucad-Nezare, Herode, & in multis alijs: Obseruarũt etiam Ethnici hoc iudicium Dei, q̃ subita & magna fœlicitas ducat secum comitem infœlicitatem. Philippus Macedo, cum esset ipsi nuncium allatum, uno die multas res fœliciter gestas esse, exclamauit: O fortuna, pro tot tantisq; bonis leui quopiam malo me affice. Alius quispiam, cum euasisset magnũ periculum, & fœliciſſimus prædicaretur, dixit: O fortuna, cui me occasioni reseruas? Solemus & nos optare, ut Deus caueat, ne ingens fortuna nobis affulgeat, quo non neceſſe

habeamus illud poetæ infortunam exclamare:

Σὺ μ' ἔφυσας, σὺ με καταθεῖν μοι δοκεῖς.

Polycrates et Amasis. Tu me extulisti, tu ipsa rursus deijcis.

Iucundissimum lectu est, quod Herodotus scribit in θαλείᾳ de Amasi & Polycrate. Nam cum Polycrates semper prosperrima fortuna uteretur, noluit Amasis diutius ei amicitia iunctus esse, sed misso caduceatore, soluit cum ipso ius amicitiæ, quia uir prudens prouidebat, quod summa infœlicitas exceptura esset summam illam in terris fœlicitatem. Nec fefellit eum opinio. Polycrates enim non multo post pependit. Vides diuinum iudicium, quo impij tolluntur in altũ, ut grauiori ruina cadant, etiam Ethnicis cognitum fuisse. Quare cum impius Aman cõ

sequi

ſequisur excellentiſſimum honorẽ, nõ eſt oblitus Deus uerbi ſui aduerſus Amalecitas, ſed in ſummo honore meditatur ſummã ignominiã & interitum.

SOLVS MARDOCHAEVS NON FLECTEBAT GENV, &c.

Aman in ſumma eſt apud omnes Perſas uenerationẽ, ſolus Mardochæus non uenerabatur eum. Hoc factũ Mardochæi uidetur eſſe temerarium, præfractum, faſtu & arrogantia plenum. Etſi enim principibus non eſt tribuendus diuinus honor, tamen pro ſuo modo adorãdi, hoc eſt, uenerandi ſunt. Sic enim Iacob adorauit, & uneratus eſt fratrẽ ſuum Eſau. Sic Iſraelitæ adorauerũt ſeu uenerati ſunt ſuos reges. Accedit huc, ꝙ Aſſuerus iuſſerat adorare,

hoc eſt, uenerari Aman, ut præcipu um principem. Non uoluit Rex, ut Aman colatur Deus, ſed ut afficiat eo honore, qui debetur principibus. Obediendum autem eſt mãdatis regijs, ſi non præcipiantur impia. Et principibus ſuus honor tribuendus eſt. Quare Mardochæus uideſ ſuo faſtu peccare, & ſecũ totam gentem Iudæorum, temere ac præfracte in ſummum illud periculum, quod poſtea ſequitur, conijcere. Sed de facto Mardochæi longe aliter iudicandũ eſt. Quod enim contempſit Aman nec uoluit eum uenerari, non eſt opus carnis, ſed ſpiritus. Nihil huc facit, quod affingitur Mardochæo, in oratiõe ſua, quæ Apocrypha habeſ. Fingunt enim ipſum dixiſſe ad Deum. Cuncta noſti & ſcis, q̃ non pro

ſuper

ſuperbia, & cõtumelia & aliqua glo riæ cupiditate fecerim hoc, ut nõ a- dorarem Aman ſuperbiſſimum. Li benter enim pro ſalute Iſrael etiam ueſtigia pedum eius deoſculari para tus eſſem, ſed timui ne honorẽ Dei mei transferrem ad hominem, & ne quenq̃ adorarẽ, excepto Deo meo. Hæc omnia tribuunt affictione qua dam Mardochæo. Ac prior quidem pars pie dicitur, poſterior aũt, qua Mardochæus affirmare dicit, ſe nul lum præter Deũ, adorare uoluiſſe, etſi pia eſt locutio, tamẽ nõ eſt huic loco apta, propterea q̃ liceat princi- pes, citra iniuriam Dei, ciuiliter ado rare, & uenerari. Reiicienda eſt & il la Iudaica fabula, qua dicunt Aman geſtaſſe effigiem quandam auream aut argenteam ex collo pendentem,

ideoq; Mardochæum noluisse genua ante Aman flectere, ne uideret adorare idolum. Vnde et Iudæi prohibent suos potu eius fontis, cuius aqua ex erecta statua, uiri aut mulieris habitu exculpta, effluit, uidelicet ne inclinãdo caput ad fistulã aquę, uideantur idolũ colere. Hæ sunt Iudaicæ superstitiones. Mardochæus autẽ pius uir fuit, et quod fecit, pio spiritus consilio fecit. Sciebat enim Aman esse Amalechitam, de genere Agag, eius nimirum regis, propter quẽ familia Saulis, ad quam & Mardochæus pertinebat, quemadmodũ supra indicatum est, e regia maiestate in Israel deiecta fuit, propterea q; Saul peperciſſet Agag, cõtra quam Deus mandauerat, sicut scriptũ est i. Reg. xv. Periculum igitur, quod

prop

propter miſericordiam exhibitam Agag, acciderat familiæ Saulis, faciebat Mardochæum cautum, & timentem Dei, ne quod maiores eius aduerſus Deum, propter Agag peccauerãt, ipſe in uenerãdo Amano, qui erat ex poſteritate Agag, augeret. Reuocabat enim in animũ, quæ Deus de delendis Amalechitis dixerat. In Exodo ait: Delebo memoriã Amalec ſub cœlo. Et in Deuteronomio: Memento, quæ fecerit tibi Amalec. Ac mox: Cum Dominus Deus tuus dederit tibi requiẽ, & ſubiecerit cunctas per circuitum natiões in terra, quam tibi pollicitus eſt, delebis nomen eius ſub cœlo. Caue ne obliuiſcaris. Et ad Saulẽ: Vade pertute Amalec, & demolire uniuerſa eius. Non parcas ei, & non concupiſ

cas ex rebus ipſius aliquid, ſed inter fice a uiro uſq; ad mulierē &c. Hæc ponebat Mardochęus ſibi ob oculos mētis ſuę, ex quibus intelligebat totam gentem Amalec, et omnes poſteros Agag regis Amalecitarum, e quibus erat & Aman, corā Deo eſſe maledictos & damnatos. Itaq; Mardochæus ſpiritu ſancto excitatus, magno & ingenuo animo cōfitetur ſe eſſe Iudæū, nec uelle ei uenerationē ſua benedicere, cui Deus maledixiſſet, & quem Deus iam ante, perpetuo ſupplicio deſtinaſſet. Hæc certe fuit heroica magnanimitas, q̄ tantum abeſt, ut pro peccato carnalis arrogantię interpretāda ſit, ut potius ſumma pietas iudicari debeat. Nam, q̄ periculum ſit ſecutum, non arguit Mardochæum imprudentię.

aut

aut importunitatis, ſed idcirco factũ eſt, ut Deus hac occaſione deiiceret impium Aman, ac uindicaret populum ſuum, quo & Regi commenda retur, & ab aduerſarijs defenderet.

QVOD CVM AVDISSET AMAN ET EXPERIMENTO PROBASSET &c.

Vt in Mardochæo deſcribit ex emplum fortis & conſtantis animi, ita in Aman deſcribitur exemplum impotentis & effœminati animi. Aman em̃, etſi omnibus alijs ſummæ eſt uenerationi, tamen non poteſt æquo animo cõtemptum unius Iudæi ferre, ſed cum uidet ſe a Iudæo negligi, ſic permouetur, & excitatur, ut non ſolum Mardochæum, ſed etiã uniuerſam gentem Iudæorum, in tota Perſica Monarchia perdere cogitet. Primum igitur, uides in Aman

uetus ingenium Amalecitarum. Etenim Amalecitæ iam inde ab initio, tanto odio prosecuti sunt Israelitas, ut quoquo modo potuerint, internitionẽ eis parauerint. Memẽto, inquit scriptura, quæ fecerit tibi Amalec in uia, quãdo egrediebaris ex Aegypto, quomodo occurrerit tibi, & extremos agminis tui qui lassi residebant, ceciderit, quando tu eras fame & labore confectus, & non timuerit Deũ. Itaq; uetus illud odiũ Amalecitarum aduersus Israelitas refert se nunc in Aman, ut uerissimũ sit, quod uulgato prouerbio iactatur, Mali corui, malũ ouum. Deinde habes etiam in Aman, quod sit ingenium inuidiæ. Aman enim nõ est contentus interitu unius Mardochæi, a quo negligebatur, sed cogitat

tat interitum omnium Iudæorũ. Sic est inuidia. Non exatiatur leui supplicio aduersarij, sed affectat interitionem omnium amicorũ & cognatorum aduersarij. Quo affectu, ut nihil est iniquius, ita nihil magis est Satanicum, ideoque iuste pronũciant sacræ literæ, inuidos non esse hæredes regni DEI, sed ignis inferni.

MENSE PRIMO CVIVS VOCABVLVM EST NISAN, &c.

Vbi uulgata lectio habet, Missa est sors in urnam, quæ Hebraice dicitur phur, coram Aman, quo die & quo mense gens Iudæorum deberet interfici, & exiuit mensis duodecimus, ibi iuxta Hebream ueritatem sic legendum est: Proiecit quispiam phur, hoc est, sortem

coram Aman, de die in diem, & a menſe uſq; in menſem duodecimũ. Significare autem uidetur ſcriptura, quod Aman ſorte exquiſierit, quo menſe & quo die fœliciter cum rege tractare poſſit, ut impetret a Rege de internitione omnium Iudęorum, quo item menſe & die Iudęi poſſint facile ac proſpere trucidari, & radicitus extirpari. Itaq; uides Aman non ſolum inuidum & crudelem tyrannum, ſed etiam impium ſortilegũ fuiſſe. Impietas enim eſt, ſortibus fœlicitatem aut infœlicitatem temporũ ꝑſcrutari. Aliud eſt, tempus plantandi aut minuendi ſanguinis, iuxta naturales Phyſicorum rationes obſeruare. Hęc enim eſt prudentia in ſuo genere commendatione digna. Sortibus autem perſcrutari futuram die

Sortilegium impietas eſt.

rum

rum fœlicitatem et infœlicitatem, impius est abusus sortium. Cæterum, mensis ניסן Nisan, quem scriptura primum mensem numerat, is est apud Hebræos, in quo Pascha celebrari debuit; & respondet partim Martio, partim Aprili nostro. Mensis autem אדר Adar, qui hoc loco duodecimus mensis dicitur, respondet Februario nostro, partim etiam Ianuario.

DIXIT AMAN REGI ASSVERO, EST POPVLVS PER OMNES PROVINCIAS, &c)

Oratio Aman cõstat duabus partibus. Prior, est accusatio. Posterior consiliũ & adhortatio. Accusant aũt Iudęi, ꝙ turbẽt publicã imperij trã quillitatem, ꝙ sint publicis legibus inobedientes & sedicioſi. Hæc solen

nis est accusatio aduersus Ecclesiam Dei. Cuius rei extat etiã exemplũ in Esdra cap. iiij. Et mirum est, si Amã non fecerit mentionem eius Epistolæ, qua finitimæ gentes accusauerũt Iudæos, qui incipiebant ædificare Templum Domini in Hierusalem. Accusarunt & Iudæi Christũ ipsum seditionis, & q̃ esset turbator publicę tranquillitatis. Ac postea Ethnici clamarunt in Christianos, et affirmarunt eos esse autores omnium publicarum calamitatum. Si Tyberis ascendit in mœnia, si Nilus non ascẽdit in arua, si cœlum stetit, si terra mouit, si fames, si lues, statim Christianus, ad Leonem, acclamabatur. Itaq; Ecclesia DEI semper audijt in hoc mundo, seditiosa, turbatrix publicę tranquillitatis, & causſa omnis

po

popularis incommodi. Quid autem poteſt iniquius excogitari? Deus enim inſtituit & ordinauit regna & politias huius mundi maxime omnium propter Eccleſiam ſuam, & ſi quid eſt tranquillitatis in hoc ſeculo, id eſt diuino beneficio propter populum Dei. Nec hic mundus tanto tempore conſtitiſſet, niſi reliqui adhuc fuiſſent ex hoc hoim numero, cõgregãdi ad populũ Dei. Quare iniquiſſimũ eſt, ꝙ culpa publicarum calamitatũ transferatur in Eccleſiã. Nã, ꝙ Iudęi ſuis utant legibus, & populus Dei nõ ſectetur idololatriam impiorum regum, ſuas habet iuſtas & legitimas cauſſas. Quod enim attinet ad ciuiles leges, certe Iudæi neceſſe ſemper habuerunt ijs legibus in exilio ſuo obedire, quas

agnoſcebant Reges & principes, in quorum poteſtate erant, niſi ſi Monarchæ ſua ſpõte permiſerant, ut Iudæi aliquot ſuis Moſaicis legibus inter ſe uterent. Quod aũt attinet ad Religionẽ, neceſſe quidẽ erat, ut populus Dei magis obediret Deo q̃ hominibus, & fugeret impiã idololatriam, ſed quid hoc ad ciuilẽ ſtatũ imperij Perſici? Ne inter Ethnicos quidem ipſos cõueniebat de religione, & ſuos quiſq; deos habebat. Cur igitur non licuiſſet Iudæis ſuum agnoſcere Deum, quem ſciebant & probabant ſolum uerum eſſe Deum, Gentium autem deos eſſe dęmonia? Hęc pauca de priori parte orationis Aman. Interim etiam hoc mihi uide, q̃ honeſta ſpecie tegat Aman ſuam inuidiam. Non dicit: Inuideo Iudæis,

is, ideo peto ut iubeas eos trucidari, ſed prætexit inuidiæ ſuæ honeſtam cauſſam. Sollicitus ſum de publica tranquillitate, quam hic populus turbat, & de conſeruanda regia autoritate, quam Iudæi inobedientia & priuata ſua religione diminuunt. Solet enim angelus Satanæ transfigurare ſe in angelum lucis, quippe cp cum manifeſta ſua ſpecie fœdior ſit, q̃ ut ab hominibus aſpectu dignaretur, proponit ſe honeſta forma cõſpicien dũ, ut reuerenter ſuſcipiatur. Nobis autem non eſt iudicandum ſecũdum externam honeſtatem ſpeciei, ſed ſecundum ueritatem rei. Sic em̃ fiet, ut a Satana non decipiamur. Poſterior pars orationis Aman cõtinet conſilium, ſeu adhortationem. Si tibi placet, inquit, decerne ut pereat.

Et ut hoc persuadeat regi, proponit duplicem utilitatem. Vna est, ꝙ totum Persicum imperiũ fiet tranquillum, tutum, & securum, si Iudæi deleantur. Optime, inquiens, nosti, ꝙ nõ expediat regni tuo, ut insolescat per licentiam. Altera est, ꝙ magna utilitas accedet regio fisco. Omnia em̃ proscriptorum & damnatorum bona fisco cedent. Decem, inquit, millia talentorum appẽdam arcarijs gazæ tuæ. Hæc æstimantur ad sexagies cẽtena millia Coronatorum, ut uocant aureorum. Etsi autem hoc ita ab Aman dici uidetur, ꝙ tanta summa pecuniæ ex facultatibus damnatorum Iudæorum in regium fiscum accessura sit, Iosephus tamen sic interpretatur, perinde ac si Aman promisisset se de suis ipsius facultatibus

Re

Regi numeraturũ tantum pecuniæ, ut tributum, quod Iudæi pendunt, hac ſumma compenſetur. Sed adſcribam uerba Ioſephi. Si uis, inquit, ſubiectis aliquod beneficium cõferre, iube hanc gentem omnino extirpari, ut ne reliquiæ quidem eius uel ad ſeruitutem uel ad captiuitatem ſuperſint. Veruntamẽ, ne tu Rex, damno quodam afficiaris, polliceor me tributa eorum, de ꝓpria ſubſtantia præbiturum, quadraginta milia pecuniarum talenta, ubicunq; ꝓcepe ris. Has autem pecunias libenter offero, tantũmodo ut imperiũ tuũ his malis liberet. Hactenus Ioſephus, q̃ ponit quidem multo maiorem ſummam pecunię, q̃ libellus Eſther hoc loco recenſet, quod magis oſcitãtiæ librariorum, q̃ ignorantiæ Ioſephi

imputandum puto: manifeſte autem ſignificat, Amanpollicitum eſſe, ꝙ de ſuis ipſius diuitijs uelit Regi tributa Iudæorum compẽſare. Sed unde homini, quamuis principi, tantę opes? Hæc autẽ utcunqꝫ ſe habeãt, certe in Amano, qui eſt organon Satanæ, perſpicue nobis oſtenditur, quo ingenio, & quibus artibus Satã proſequatur Eccleſiam Domini. Satan enim, ut Chriſtus ait, mẽdax eſt & homicida. Quare ſolet ſemp Eccleſiam mendacijs & homicidijs perſequi. Audiuiſti antea mendaciũ. Eſt populus, inquiens, nouis utens legibus, & cerimonijs, & contemnẽs Regis ſcita, hoc eſt, populus impius, hæreticus, & ſeditioſus. Nunc audi homicidium. Si tibi placet, inquit, decerne, ut pereat. Et poſtea:

Vt

Vt occiderent atq; delerent omnes Iudæos, a puero usq; ad senem, parvulos & mulieres uno die. Sed etsi Satan semper grassatus est in Ecclesiam mendacijs & homicidijs, & aliquoties obiecit eam maximis periculis, nunq̃ tamen potuit eam extirpare & funditus tollere. Constat em̃ in semine Abrahæ, hoc est, in Christo Iesu, qui ut conterit potentiã Satanæ, ita semper seruat Ecclesiã suã incolumem. Cæterum, si quis Iosephi sententiam, quam modo recitauimus, de Amano probauerit, manifeste uidet, quod sit ingeniũ hominis inuidi, maleuoli, et liuidi. Aman enim mauult maximam opum suarũ iacturam facere, q̃ se non crudelissime de Mardochæo & omnibus Iudæis uindicare. Nam hæc est natu

ra inuidi, ut libẽter cupiat esse unocu lus, modo is, cui inuidet, utroq; ocu lo careat, & omnino sit cæcus. Qui affectus non est humanus, sed pror sum Satanicus, ideoq; summa dãda est opera, ut spiritu mortificetur. Ob serua etiam hic impiã liberalitatem Amã. Offert omnes pene facultates suas, ad satisfaciendum libidini suę, & ad conseruandã impiam idolola triam in regno Persico, cum interim ad iuuãdum uerum ueri Dei cultũ, ne teruntium quidem obtulisset. Quod si uero magis placet prior il la sententia, qua Aman indicat Re gi, quanta utilitas accessura sit in fiscum Regium e bonis proscripto rum & damnatorum Iudæorum, ini quissima & crudelissima est tyran nis, fiscum e sudore pauperum, &

oppre

oppreſſione innocentum, implere. Nec fieri poteſt, ut Deus talem tyrã nidem inultam ferat. Neſcierunt facere rectum, dicit Dominus, theſaurizantes iniquitatem, & rapinas in ędibus ſuis. Propterea hęc dicit Dominus Deus. Tribulabitur, & circuetur terra, & detrahetur ex te fortitudo tua, & diripientur ędes tuæ. Et iterum: Vos depaſti eſtis uineam meam, & rapina pauperis in domo uestra. Ideo decaluabit Dominus uerticem filiarum Zion, & dominus nudabit crinem earum. Poſtremo etiã hoc in Amano conſiderandum eſt, q̃ impie abutatur dignitate & potentia ſua. Deus enim confert potentiã in principes, ut opera & officio ſuo adiuuent Eccleſiam. Aman autem abutitur donis ſuis aduerſus Eccle

ſiam. Omne enim ſtudium ſuum in hoc confert, ut opprimat populũ Dei. Sed incidit in foueã, quã fecit, et cõuerſus eſt dolor eius in caput eius, ac in uerticẽ ipſius iniqtas eius deſcẽdit. Eccleſia em̃ ſeruatur, & ip ſe pependit. Quare hi, qui potentia præditi ſunt, admoneantur hoc exemplo, ut q̃d diuinitus acceperint, ad adiuuandã, non perdendam Ecclesiam Domini, conferant.

TVLIT ERGO REX ANNVLVM, QVO VTEBATVR DE MANV SVA, &c.)

Aman non ſolum impetrauit a rege, quod petijt, uerum etiam tantam gratiam inijt, ut Rex donauerit eum omnibus illis facultatibus, quas Aman receperat ſe illaturũ fiſco ex bonis proſcriptorũ Iudęorꝝ, aut quas pro

promiserat se nomine tributi persoluturum. Nunc ergo Aman uincit, exultat, triumphat. Nunc uidemus impium superexaltatum & eleuatū sicut cedros libani. Sed mane pauli sper. Quem nunc uidemus victorē & triumphatorem, eum paulo post uidebimus ex ligno pensilē. Transibimus, & ecce non erit, quęremus eum, & non inuenietur locus eius. Quare non est nobis exultandum, cum scelerata nostra consilia promouere uidentur, sed tunc maxime omnium timendū est supplicium Dei, & resipiscendum, ut repentinum interitum, qui imminet, effugiamus. Sed hic considera etiam mihi, q̄ stupidus, q̄ stolidus sit Rex. Confestim enim concedit & permittit Amano, caussa nondū perspecta et cognita,

Exemplum stupidi Regis

ut Iudæi trucidentur. Cogitat enim Amanum esse uirum prudentem, et amantem publicę tranquillitatis, ac sollicitũ pro Regia maiestate. Quare, ne explorato quidem negocio, adscribit se sententiæ Amani. Talis autem incogitantia & imprudentia, cũ omnibus hominibus turpis, tum Regi fœdissima est, atq; iniquissima. Prȩcipuum em̃ Regum officium est, ut in iudicãdo nõ cõdemnent reos inauditos. Sed hoc exemplo admoneamur, ut etsi audiendi sunt homines sapientes, non tamen idcirco sententię eorum accedendum est, q; habeantur sapientes, sed quod probabiles & iustas afferant causas sentẽtiæ suæ. Non est dicendum, αὐθις ἐφα. Sapientior me est. Faciam igitur, quod consulit, sed rationes sapientum

entum diſcutiẽdæ ſunt, num ſint ue ræ, num iuſtæ, nũ quod conſulũt, ſit legitimum, pium, & cum uerbo Domini conueniens. Perdam, inquit, ſapientiam ſapientium, & intelligentiam intelligentium reiiciam. Quare conſilia ſapientum iuxta carnem, non debent quidem temere cõdemnari, debent tamen nobis eſſe ſuſpecta, in rebus præſertim ad ueram ſalutem pertinentibus, ut ſententiæ eorum tm̃ tribuamus, quantum nobis uerbum Domini permittit.

VOCATIQVE SVNT SCRIBAE REGIS, MENSE PRIMO, &c.

Mittuntur edicta annulo Regis ſignata, in omnes prouincias Perſici imperij, ut omnes Iudæi a puero uſq; ad ſenem, paruuli & mulieres, uno die trucidentur, & facultates eorũ di

ripiãtur. Exemplar huius edicti habetur inter Apocrypha. Est aũt sumptum ex Iosepho, qui more historiographorum magis commemorauit quid pro suo iudicio, Rex uerisimiliter scribere in hoc negocio ad prouincias suas potuerit, q̃ quid uere scripserit. Solent enim exteri rerum gestarũ scriptores, siue exornatiõis, siue ostentandæ eloquentiæ gratia, personis affingere tales orationes, non quales ab illis dictæ sunt, sed quales uerisimiliter dici potuissent. Hoc genus orationũ uocãt μελέτας. Ad hoc genus pertinet etiam exemplar edicti Assueri. Etsi autem hoc exemplar simpliciter iubet trucidare uno die eos Iudæos, quos indicet Aman, tamen cum literæ scribũtur & dantur in primo mense, et definit

dies

dies occisionis, in duodecimo mẽse, ut pene totus annus sit inter editionẽ edicti, & terminũ occisionis Iudæorum, uerisimilius est, Regem mandasse, ut intra hoc tempus Iudæi omnes derelinquant legem & religionẽ suam, & sectentur deos Persicos. Quod si qui ante decimum tertium diem duodecimi mensis hoc non fecerint, nec obedierint regio mandato, tunc habeantur proscripti, & trucidentur, quocunq; loco deprehensi fuerint. Sed qualis qualis fuerit forma edicti Regij, certe maximum periculum impendet uniuersę Ecclesię in Persico imperio. Quid enim est, quod nunc nõ minatur ei internitionem? Rex assensus est. Literæ edicti Regio annulo cõsignatę sunt. Nuncij perferunt literas ad singulas Impe

rij prouincias. Quod Rex decreue-
rat, & iusserat, nullus Satrapa retra-
ctare poterat. Ac potentia Regis ma
ior erat, q̃ ut Iudæi etiam in unum
cõgregati potuerint resistere. Quid
ergo relinquit, nisi certissimus inte
ritus? Sed bene habet. Est Deus in
cœlo, cuius manus nulla humana
uel potẽtia uel sapientia, ita abbreui
at, ut saluare nequeat, quemadmo-
du etiã hoc maximo periculo Eccle
siam suam liberat. Quare siue princi
pes statuant, siue scribãt, siue literas
annulis suis signent, siue mãdent, si
ue amandẽt nuncios aduersus Eccle
siam, confugiendum est ad Domi
num Deum nostrum, & bene sperã
dum de auxilio Dei, qui cum recepe
rit se seruaturũ Ecclesiã suã, non est
ullus homo, qui possit decretũ eius

infir

infirmare, & manũ eius ad ferendũ auxilium extentam auertere.

FESTINABANT CVRSORES, &c.

Hi sunt mores huius seculi. Homines enim ad opprimendã Ecclesiã, & ad exequẽda impia Regũ mãdata celerrimi, & obsequentissimi sunt. Ad cõseruandam aũt Ecclesiã, et ad faciendâpietatem, longe omniũ tardissimi & ignauissimi sunt. Et tamẽ hoc solum nostrum opus, noster labor esse deberet, ut quãta possemus festinantia & obdientia pietatem sectaremur.

REGE ET AMAN CELEBRANTE CONVIVIVM, &c.

Hoc plane illud est, quod postea Christus ad Ecclesidã suã, ad discipulos suos dixit: Amen amen dico uobis, plorabitis & lamentabimini

uos, mundus contra gaudebit, Vos aũt mœrore afficiemini. Sed addit: Mœror uester uertetur in gaudiũ. Nam, quemadmodum in passione Christi, Pontifices triumphant, & milites ludunt, Christus aũt pendet in cruce, et miserrime affligit: ita im pij, mœrentibus pijs, in summo gau dio uersantur. Existimant eñ se tunc fœlices esse, cũ Ecclesia est infœlix, & putant tũc Deum maxime omni um recte iudicare, ac orbem terrarũ expiari, cum pij affliguntur, & peri re uidentur. Venit tempus, inquit Christus, ut quisq; interficiat uos, uideatur cultum præstare Deo. Vn de et periclitante populo Dei, Assue rus & Aman hilariter, tanq; rebus optime & fœlicissime gestis, conui uantur. Sed ueissimum est, quod in

Iobe

Iobe ſcribitur: Laus impiorum breuis erit, & gaudium Hypocritę ad inſtar puncti. Si aſcenderit uſq; ad cœlum ſuperbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur, & qui eum uiderant, dicent: Vbi eſt?

CAP. IIII.

QVAE CVM AVDISSET MARDOCHAEVS, SCIDIT VESTIMENTA, &c.)

Hoc caput continet ἐπιτομὴν huius Hiſtoriæ. Mardochæus enim et reliqui Iudæi cognoſcunt ſententiã crudeliſsimi edicti, quod aduerſus Eccleſiam Domini conſtitutũ & uulgatum erat. Quid ergo contra faciendum ſuſcipiunt Iudæi? Primum, nõ ſtertunt ignaui, nec oſcitanter de im-

minenti periculo cogitant. Cum ẽm ſpiritus ſanctus iubet nos in omnibus aduerſis confidere in Dominũ, non iubet nos ignauos, oſcitantes, & ſomnolentos eſſe. Nam confidentia in Dominũ, efficax eſt & operoſa, excitans ad ſeruiendum ſibi omnes humanas uires et membra. Dicit quidem Eſaias: In ſilentio & ſpe erit fortitudo ueſtra: hoc aũt dicto non iubet nos ociari, aut nihil conſiliȝ capere, & nullũ iuſtũ ac licitum opus ſuſcipere, ſed iubet nos humanis cõſilijs & conatibus noſtris non confidere. Deinde Iudæi in maximo omnium diſcrimine uerſantes, non ꝓpȝciunt uirulẽta uerba aduerſus regẽ, nec arripiunt arma. Rex enim erat hoc tempore legitimus magiſtratus ipſo-

ipsorꝫ, & erant ipsi serui Regis, nullam prorsus administrationem gladij habentes, quam etiamsi habuissent, tamen multo pauciores erant, q̃ ut potuissent tanto Monarchę uiolenter resistere. Quare nec erat eis licitum, nec possibile, ut arma aduersus regem caperent. Quid ergo fit? Mardochæus & reliqui Iudæi scindunt uestimenta sua, induunt saccos, spargunt cinerem super capita, gemunt, plorant, & ieiunant. Hęc etsi uidentur esse aliqua ex parte signa hominum furiosorum & mente captorum, tamen quod agunt Iudæi, nõ est furor, sed dolor, non est uesana mentis defectio, sed legitima & usitata mœsticiæ animi indicatio. Solenne enim fuit inter Iudæos, ut in subitis ac horrendis calamitatibus

declararent dolorem ſuum ſciſſura ueſtium, & ad inuocandũ auxilium Dei humiliarent ſe, indumento ſaccorum, aſperſione cinerum, & ieiunio. Pij enim Iudæi non ſenſerũt ſe ſaccis, cinere, & abſtinentia cibi expiare peccata ſua, & mereri gratiam Dei, ſed uſi ſunt his ceremonijs, ut teſtarentur publice, ſe lugere, & ut ieiunio aptiores, & magis intenti eſſent ad precandum, & inuocandum auxilium Dei. Quare hi mores nõ ſignificant Iudæos in Perſia furere, ſed ſignificant eos confugere ad Deum, & cum nullum appareat auxiliũ in terra, petere ipſos opem e cœlo. Hoc certe eſt ſacrificium Deo gratũ offerre. Deſcribũtur quidem in lege ſacrificia Taurorum et Vitulorũ, ſed hęc ſacrificia ſunt tantum umbra

quædam

quędam, ὃ ἅγιον κοσμικόν. Nam uerum ſacrificium, principio eſt ſemen Abrahæ, hoc eſt, IESVS CHRISTVS unigenitus filius Dei, qui ſe obtulit morti ad expiationem peccatorũ noſtrorum. Deinde ſacrificium, ſunt afflictiones, quæ offerunt precibus a nobis in conſpectu Dei, idq; ex fide Ieſu Chriſti. Sacrificium, inquit, Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Et Eſaias: Ad quem reſpiciã, niſi ad pauperculum & contritũ ſpiritu, & trementem ſermones meos? Iudęi autem affliguntur nunc miſerrime, ac ſunt ſpiritu prorſus contribulato, quẽ offerunt precibus & clamoribus ſuis ad Deum, ac petunt, ut cũ Deus promiſerit ipſis ſalutem & benedictionem propter ſemen A

brahæ, ſeruet etiam ipſos clementer in maximis illis periculis, quæ inter nitionem toti genti minantur. Qua re faciunt Deo cultum gratiſſimũ, & offerunt ei ſacrificium acceptiſſimũ. Hoc exemplo docemur & nos, ut cum immittuntur nobis afflictiones, ſentiamus Deum tunc proponere nobis pingues tauros & uitulos, quos ipſi offeramus, id quod fiet, ſi offeramus Deo precibus noſtris afflictiones, quas ſuſtinemus, & inuocauerimus nomen Domini ex fide, ut ſeruet nos, non propter noſtram iuſticiam, ſed propter Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

ET HOC EIVLATV VSQVE AD FORES PALATII GRADIENS &c.)

Mardochæus rectum & legitimũ ſeruat ordinem, in tractando hoc difficil

ficillimo negocio. Primū enim omnium inuocat auxilium Dei. Deinde poſt inuocatiōem nominis Dei, feſtinat ad aulam Regiam, ut exponat Reginæ Eſther, filiæ ſuæ, quanto periculo tota Eccleſia laboret, ſi quo modo fiat, ut ratio inueniatur, quarebus Iudæorum propemodum deploratis ſuccurri queat. Poſtq̄ enim inuocatum eſt nomen Domini ex fide, in periculis, omnes iuſtæ, piæ, & licitæ humanæ rationes, quoad eius fieri poteſt, ineundæ ſunt, ut ſeruemur. Nihil agendum eſt iniuſte. Nam ſi non patet alia euadendi uia, quam per iniuſtitiam & impietatem, multo magis ſuſcipiendum eſt præſens periculum, q̄ facienda impietas. Non enim licuiſſet Iudæis ſeditionem aduerſus Re

gem commouere, aut Regem & Aman ueneno tollere. Hæc sunt iniusta: Vt autem Regina intercedat p innocenti populo apud Regem, iustissimum erat. Quare pius Mardocheus, posthabitis omnibus iniquis conquirendi auxilij rationibus, ad id quod licitum erat, festinat. Quo exemplo docemur, ut in cauēdis aut effugiendis periculis, solam pietatē & iusticiam sectemur, ne iniquitate nostra magis augeamus q̄ effugiamus periculū. Dicit enim Salomon: Quod timet impius, accidit ei.

NON ENIM ERAT LICITVM, IN DVTVM SACCO, &c.)

Saccus erat habitus afflictorum & lugentium. In aulis autem principum, & ut Christus loquitur, in domibus Regum sunt, qui mollia gestant,

ſtant, & qui delicijs ſtudent. Ac inter Principum aulas, præcipue fuit quondam aula Perſica infamis, ꝙ Reges Perſarum unum hoc egerint, ut uoluptati operam darent, Xenophon ait: τῷ μὲν γὰρ πέρσῃ πᾶσαν γῆν πε-ρέρχονται μαστεύοντες, τί ἂν ἥδιστον πίοι. μύ-ειοι δὲ τεχνῶνται, τί ἂν ἥδιστα φάγοι. ὅ-πως γε μὴν καταδάρθοι, οὐδ' ἂν εἰδείη τις ὅσα πραγματεύονται. Serui Regis Perſarum circumeunt totum orbem terrarum, ut conquirant Regi ſuo ſuauem potũ. Innumeri ſunt, qui excogitant, ut Rex cibos habeat delicatiſſimos. Vt autem ſomnum capiat, nõ facile quiſq̃ dixerit, quantam artem & induſtriam adhibeant. Supra etiã indicatum eſt, q̃ exquiſita cura puellæ præparatæ fuerunt ad uoluptatẽ Regis. Cum igitur tãtum fuerit ſtu

dium delitiarum & uoluptatum in aula Perſica, non eſt mirũ, q̃ in eam non admiſſi ſunt ij qui habitu ſuo p̃ ferebantur luctum, & dolorem. Vide autem mihi, inuerſum rerum ordinem. Aulæ principum in hoc ſunt diuinitus inſtitutę, ut ſint aſyla miſerorum & afflictorũ hominum. Regna em̃ & imperia ordinata ſunt in terris, ut miſeri iuuentur, & innocentes defendantur. Nunc autem, in aula Perſica nihil odioſius & abominabilius habetur hominibus afflictis & miſeriam ſuam habitu teſtantibus. Quid hac rerum peruerſitate iniquius? Sed tamen bene adhuc habet. Miſeri & afflicti nullum habent locum in aula Perſica apud Regem, at maximum & ſpacioſiſſimũ locũ habẽt in aula cœleſti apud

Do

Dominum Deum nostrum. Cœlũ enim semper patet lugentibus, & Deus nunquam nõ præsto adest afflictis, inuocantibus nomen eius ex fide. Inuoca me, inquit, in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me. Quare etiamsi excludamur in luctu ab aulis principum, recipit tamen nos aula cœlestis, in quam pijs precibus semper ingredi licet.

QVOD AVDIENS CONSTERNATA EST, ET VESTEM MISIT, VT ABLATO SACCO, &c.

Esther mittit patruo suo Mardochæo uestẽ aulicam. Mardochæus autem non petit uestem, sed auxiliũ. Itaq; exponit reginę Esther, per Eunuchum, quanto in discrimine uersent Iudæi, & iubet eam ad Regem accedere, atq; pro miserrimis Israeli

tis intercedere. Esther autem allegat publicam constitutionem Persici imperij, ꝙ capitale sit ad Regem accedere non uocatum. Siue uir, inquit, siue mulier, non uocatus, intrauerit interius atrium Regis, definita iam sententia, interficitur, nisi Rex ei aureũ sceptrum porrexerit. Persæ enim existimabant ad conseruandam & augẽdam maiestatem Regiam pertinere, ut Rex q̃ rarissime uideretur, & ut Xenophon ait δυσπρόοδος, hoc est, difficilis aditu esset. Itaque persona Regis occulebatur, tanq̃ sacrũ mysterium, ac institutum fuit, ut quisquis ad eum nõ uocatus accederet, iudicaretur designasse crimen uiolatæ maiestatis, & continuo trucidaretur, nisi Rex clementer eũ, porrecto sceptro, seruaret. Hanc consuetudinem

nem reprehendit Xenophon, & laudat Ageſilaum regem Lacedæmoniorum, ꝙ maluerit frequenter in pulico ſpectari, & omnibus ad ſe aditum patere, q̃ occultari, & aditu difficilis eſſe. Turpiter enim agenti conueniunt tenebræ, honeſtæ aũt uitæ affert lux ornamentum. Ac officium Principis eſt, ut cauſſas miſerorum audiat, & oppreſſos tueatur. Quomodo autem audiat, ſi nullus ad ipſum aditus miſero patet? Quare hæc Perſica conſuetudo plane ex diametro pugnauit cũ legitimo Regis officio. Et habuit etiam manifeſta incommoda. Nam mortuo Cãbyſe, Magi inuaſerunt occaſione huius cõſuetudinis, imperiũ Perſicũ, & fuerunt autores magni motus in Perſia.

Perſarũ regis ſuperbia.

NE PVTES QVOD ANIMAM TVAM TANTVM LIBERES, QVIA IN DOMO REGIS ES, &c.)

Memorabilis oratio, plena fide, & grauitate, qua Mardochæus refutat obiecta Reginę Esther, & cohortatur eam cessantem, ut suscipiat curam publicæ salutis Iudæorum. Primum enim, refutat opinionem eius, qua fortassis sperat se euasuram hoc Iudęorum discrimen, ꝙ sit Regina. Ne in animum, inquit, inducas, te solam conseruaturam uitam tuam, ꝙ excellentem locum in aula Regia teneas. Nam certissimum est, ꝙ Deus sit seruaturus populum suum, & ex hoc discrimine liberaturus. Reuoca in mẽtem promissiões, quibus Deus recepit se defensurum posteritatem Abrahæ. Statuam, inquit ad Abraamum,

mum, pactum meũ inter me & te, et inter ſemen tuũ poſt te in generationibus ſuis fœdere ſempiterno, ut ſim Deus tuus & ſeminis tui poſt te. Et iterum: Cum eſſent in terra hoſtili, non penitus abieci eos, neque ſic deſpexi, ut conſumerentur, & irritum facerem pactũ meum cum eis. Ego enim ſum Dñs Deus eorũ, & recordabor fœderis mei priſtini &c. Recẽſe etiã exempla, quibus Deus ſępenumero cõprobauit ueritatẽ promiſſionum ſuarum, & defendit populum ſuũ in maximis ac difficillimis periculis. Quid crudelius dici poteſt, q̃q̃ ꝙ Pharao præceperit, ut quicquid maſculini ſexus, inter Iſraelitas naſceret, in flumen proijceret, & tñ Deus mirabiliť cõſeruauit maiores noſtros. Poſſem multa alia cõmemora

re exempla, qbus manifestissimũ est, ꝙ quo maiora sunt pericula, eo prę sentius sit auxilium Dei. Quare nihil certius est, q̃ Deũ etiam hoc tẽpore Ecclesiam suam, in Monarchia Persica conseruaturum. Habes excellẽtem ac plane heroicã Mardochęi fidem, qua in pręsentissimo & periculosissimo discrimine uidet futurã liberationem. Et hoc est, quod dicit: Iudęi alia occasione liberabuntur. Nunc audi gruauissimas minas. Si nunc silueris, inquit, tu & domus patris tui peribitis. Ecclesia enim Dei laborat nũc summo periculo, & confugit ad opem tuã. Quare si aut metu priuati tui periculi, aut cõtemptu eam direliqueris, certissimus manet interitus & te & omnẽ posteritatem familiæ tuæ. Etsi enim maiestas regia,

gia, qua ornata es, uidetur te a præ
senti Iudæorum calamitate uindica
re, & in tuto collocare, Deus tamẽ
in cœlo non relinquet inultum, si tu
nunc reliqueris Ecclesiam suã. Nã
ut gratissimus Deo cultus est, Eccle
siam, pro uirili iuuare, ita Deus ni
hil magis execratur, q̃ si quis Eccle
siam in periculis ope sua, quam ferre
posset, destituit. Ad Abraamum di
citur: Benedicam benedicentibus ti
bi, & maledicam maledicentibus ti
bi. Hæc dicta sunt ad Abraamum,
non propter ipsum tantũ, sed etiam
propter Ecclesiã, cuius Abraam prę
cipuus Patriarcha fuit. Qui enim be
nedicit, hoc est, bene precat̃ ac bene
facit Ecclesiæ, huic etiam benefit di
uinitus. Qui autem maledicit, hoc
est, qui male precat̃, & malefacit Ec

cleſiæ, ac contemnit & derelinquit eam, cum poſſet iuuare, is etiam diuinitus maledicetur. Et in Decalogo: Ego ſum Dominus Deus tuus fortis zelotes, uiſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorũ qui oderunt me. Maxima autem eſt iniquitas & crudelitas, populum Dei in maxima miſeria opem noſtram implorantem, reiicere & cõtemnere. Ad põtificem Eli ait Dominus: Quicunq; honorificauerit me, glorificabo eũ. Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Porro, honorãt Deũ, qui Eccleſiã ſuã adiuuant. Contemnunt aũt Deum, qui Eccleſiã contemnũt, nec ſuccurrunt calamitati eius, q̃quo modo poſſunt. In Prouerbijs dicit: Qui obdurat aurẽ ſuã ad clamorem

pau

pauperis, clamabit & ipſe, nec exaudiet. Si unius pauperis clamor tanti eſt, ut nõ exauditus ab homine, aggrauet aurẽ Dei, ne exaudiat, qd faciet clamor totius Eccleſiæ, in afflictione ſua opẽ implorãtis ab eo, quẽ ſperat adiuuare poſſe? Quare tu regina Eſther, ſi nũc ceſſaueris, & auerteris te ab eccleſia, in hoc difficilimo tpe, auertet etiã Dñs deus noſter faciẽ ſuã a te, & ab omni familia ac poſteritate tua. Itaq; ſi uolueris te & poſteritatẽ tuã ſeruare, da operam, quãcũq; potes, ut Eccleſiam ſerues. Obſeruabile eſt, qd hoc loco Mardochęus docet. Deus ppetuo ſeruat publice Eccleſiã ſuã, & priuatim afflictũ quẽuis inuocantẽ nomen eius ex fide. Proponit aũt nobis tam Eccleſiam, q̃ afflictos iuuandos in calamitatibus, non ꝙ

ipſe aut nõ uelit, aut non poſſit iuua re, ſed ut habeat nos συνέργους ſuos & probet noſtram pietatem, ac pro ponat nobis in afflictis noſtrã ipſo rum uel ſalutem uel interitũ. Nam ſi miſeris porrigimus opem, quam poſſumus, noſtra eſt ſalus. Si autem negligimus & contemnimus, Deus nõ derelinquet quidem miſeros ſpe rantes in ſe, nobis autem certiſſimus imminet interitus. Hæc eſt una ra tio, qua Mardochæus refutat uel co gitationẽ uel obiectionẽ Eſther, & interim etiam exhortatur eam, ut ſe rat opem afflictæ Eccleſiæ. Hæc au tem exhortationis ratio ducta eſt ab utilitate, aut etiam neceſſitate. Ne ceſſe eſt, ut porrigas opem populo Dei. Niſi enim tu pro uirili tua adiu ueris eum, tu ipſa ſeruari non potes.

De

Deinde refutat Mardochæus aliam uel obiectionem uel excusationem, qua Regina Esther cunctationi suæ prætexuit legem Persicam, ꝙ capita lesit non uocatum ad Regem accedere. Quis nouit, (inquit) si forte ob hanc occasionem perueneris ad regnum? Hæc non sunt uerba dubitationis, sed certissimæ affirmationis. In Ioele dicitur: Quis scit, si conuertatur & ignoscat, & relinquat post se benedictionē, hoc est, nihil certius est, q̃ Deum benedicturum nobis, si ad ipsum conuertamur. Sic & hoc loco, Quis scit, inquit Mardochęus, si forte ob hanc occasionē ad regnū perueneris, hoc est, nō dubito, quin Deus euexerit te ad Regiam maiestatem, ut in hoc difficillimo tempore succurras miserrimo populo DEI,

Video quidem impendere tibi aliquod periculũ ex lege Persica, si inuocata accesseris ad Regem, sed maior tibi ratio habenda est publici, q̃ priuati periculi, & plus tibi cauendum est maius & certum periculũ, quam minus & incertũ. Nam si cessaueris, aut neglexeris salutẽ Ecclesiæ, certissimus tibi & tuæ familiæ imminet interitus, propterea quod obduraueris aurem tuam ad clamorem miserrimi populi Dei. Si autẽ inuocata fueris ingressa ad Regem, & interceſſeris pro populo Dei, obij cis quidem te periculo mortis, sed in certum est periculum. Fortassis eñ Rex porriget tibi sceptrum aureum & seruaberis. Nec dubito, quin si tu tuum facias officium, Deus daturus sit euentum fœliciſſimum. Accedit

hue

huc, ꝙ lex Persica, qua nõ uocati, p hibent aditu Regis, sit humana ordi natio & constitutio. Sed ut interce das pro salute populi Dei, uocatio est diuina. Certũ enim est, te idcirco in Reginã electam diuinitus, ut tua opera populus Dei in hoc periculo seruetur. Magis autem est obedien dum diuinę uocationi, q̃ humanis ordinationibus. Quare mea dilectis sima filia, sis fortis, perrumpe huma nam legem, ut diuinæ legi obedias. Qui te mirabiliter ad regnum uoca uit, is & mirabiliter commouebit de xtram Regis, etiam renitentis, ut tibi aureũ sceptrum porrigat, ac seruetis. Hęc est altera ratio qua Mardochæ us refutat obiectionem Esther, et ex hortat eam, ad suscipiendam curã, p populo Dei. Ducta aũt est hęc ratio

ab honesto. Admonet em̃ Esther of ficij sui, ad q̃d diuinitus uocata est, cũ in Reginã eligeret. Docet autem nos, q̃ Deus conferat in principes, potentiã, in diuites, diuitias, in sapiẽ tes, sapientiam, et in alios alia dona, nõ ut ꝯs abutantur pro sua libidine, sed ut adiuuent Ecclesiã Dei, & tue antur eam, quoquomodo possunt. Ecclesia em̃ in terris tanta est in ocu lis Dei, ut ab omnibus hominibus exigat, quo Ecclesiæ seruiant. Gens, inquit, & regnum, quod non seruie rit tibi, peribit, & gentes solitudine uastabuntur. Monet etiam Mardo chæus hoc loco, q̃ non debeamus uocationem Dei derelinquere prop ter humanas ordinationes, sed si u trunq̃ simul conseruari non queat, uiolandas esse humanas ordinatio

nes

nes, ne uiolemus diuinam uocationem.

RVRSVMQVE ESTHER HAEC MARDOCHAEO VERBA MANDAVIT, VADE ET CONGREGA, &c.

Vide excellentem & nunq̃ satis laudatam mulieris pietatem. Excitata enim & incẽsa cohortatione Mardochæi suscipit curã Ecclesiæ, et mauult se periculo mortis exponere, q̃ populo Dei in tanto discrimine deesse. Ingrediar, inquit, ad Regem, contra legem faciens non uocata, tradensq; me morti et periculo. Sed obserua hic mihi, qua fidei prudentia hoc negociũ aggrediatur. Non continuo perrumpit uiolenter custodias aulæ, sed iubet populum Dei ieiunare, & recipit etiam se cum ancillulis suis ieiunaturam. Quid hoc? Num

Esther

Esther sentit se merito ieiunij impetraturam gratiam Dei: num sperat Deum seruaturum populum suum propter ieiunium? Nequaq̃. Sed sectatur patriam cõsuetudinem, qua solebant Israelitæ in magnis & difficilibus periculis instituere ac indicere publicum ieiunium, non ut merito ieiunij expiarẽt peccata, quemadmodũ Hypocritæ abutunt ieiunio, sed ut cerimonia ieiunij admoneret de magnitudine periculi, et ut sobrij conuenirent ac perdurarent in precatione ad Dñm Deum nostr̃. Nam & Esther ipsa interpretatur ieiuniũ ad hunc modũ. Orate, inquiẽs, pro me. Sic Iosaphat, instituit publicum ieiuniũ, cum hostes ex improuiso incursionẽ feciſſent in fines regni sui. Et instituit illud, non ut merito hu

Ieiunij uera ratio.

ius

ius operis recõciliaret se cum Deo, sed quemadmodũ scriptura ait, ut totum se conferat ad rogandũ Dñm. Sic Niniuitæ instituunt ieiunium, non ut expiarent hoc opere peccata sua, sed ut clamarent ad Dominũ in fortitudine, (Sic enim scriptura loquitur) et conuerteretur unusquisq; a uia sua mala. Quare Esther, non sectata est, instituendo ieiunio, hypocriticam superstitionem, sed obseruauit piam maiorum consuetudinem ad retinendum populum in officio precationis. Nulla autem est certior uia & sufferendi & euadendi periculi, quam confugere pijs precibus ad Dominum, qui cum dixerit: Inuoca me in die tribulationis & eruam te, & honorificabis me, non potest teneri, quin seruet inuo

cantē ex fide propter Christū, in om nibus afflictionibus. Cæterum pre cationes, quibus Mardochęus inter Iudæos & Esther inter ancillulas usi uidētur, extant inter Apocrypha, & habēdæ sunt in eorum numero, quæ a studiosis pietatis, exercitij gra tia, personis affinguntur. Ac de pre catione quidē Mardochæi supra di ximus nonnulla. Etsi enim uerisimi le est Mardochæum grauiter tenta tum & afflictum fuisse, ꝙ sua culpa coniecerit Iudæos in tantum pericu lum, propterea ꝙ non sit ueneratus Amanum, tamen multo aptior uide retur precatio, si pro eo quod dici tur, Timui ne honorem meū trans ferrem ad hominem, & ne quenq̄ adorarem excepto Deo meo, posi tū esset: Timui, ne ei benedicerem,

cui

cui tu maledixisses, & ne eum uenerarer, quem tu iam olim omni uenerratione indignum iudicasses. Precatio aũt Esther tolerabiliter est confi cta, si modo intelligas eã, cum ait: Detestor cubile incircumsorum, nõ sentire, qꝑ peccet aduersus Deum, cõ iugio suo, quod iniit cum homine incircumciso, sed his uerbis significare tantum, qꝑ tanto desiderio salutis populi sui teneatur, ut mallet in incolumi patria uni ex infimis ciuibus, iuxta legem circumciso, & cultũ ueri Dei sectanti, q̃ in exilio, tanto regi, & incircumciso & idola colenti nupta esse. Nam Esther non peccauit nubendo Regi incircumciso, sed paruit necessitati, in ea re, quę per se, in exilio, non fuit illicita.

CAPVT V.

DIE AVTEM TERTIO INDVTA EST ESTHER REGALIBVS VESTIMENTIS, &c.

Facta precatione ad Deũ, Esther ornata regio ueſtitu proficiſcitur ad Regem. Ac nobis quidem, qui ſcimus euentum rei, non difficilis uidetur fuiſſe profectio, ſed ſi ad id tempus reſpicias, quo Esther ſuſcepit profectionem ſuam, uiſa eſt ſibi in præſentem mortem ingredi, nec potuit aliquam ſpẽ uitę habere, niſi per fidem, in Domino. Capitale enim erat, non uocatum intrare in aulam ad Regem. Et ſuperioribus annis Regina Vaſthi, etſi erat mulierum pulcherrima, & Regi dilectiſſima, tamẽ repu-

repudiata erat, propter peccatum non adeo magnum. Accedebat huc, q̃ triginta diebus non fuerat uocata ad Regem, ex quo suspicari potuit, non Iudæos tantum, sed & ipsam, genus suũ e Iudeis ducentẽ, internitioni a Rege destinatam esse. Quare quantum ad rei circumstantias attinet, profectio Esther ad Regem, nõ aliud uisa est, quam profectio in pręsentem mortem. Et tamen pergit, ac suscipit tantum periculum propter Ecclesiam. Hæc est uere heroica magnanimitas, qua Esther declarat tam excellentem fidem suam erga Deum, quam eximiam charitatem suam erga Ecclesiam Dei. Fidei est, quod adit periculum uitæ ad obediendum uocationi Dei. Etsi enim omnes rei circumstantiæ minabãtur

ei interitū, tamen pendebat fide ſua e diuinis ꝓmiſſionibus. Quem enim Deus ad pericula uocat et ducit, ei promittit quoq; conſeruationem & ſalutem in periculis. Ad Abraamum dicit: Egredere de terra tua, & de cognatiõe tua. Hoc eſt uocare ad pericula. Sed addit promiſſionem: Faciam te in gentem magnam & benedicam tibi. Ad Moſen dicit: Veni mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meū de Aegypto. Hoc eſt mittere ad pericula, ſed additur promiſſio: Ego ero tecum. Ad Hieremiam dicitur: Prophetam in gentibus dedi te. Hoc eſt uocare ad pericula, ſed additur promiſſio: Ne timeas a facie eorum, quia tecum ego ſum, ut eruam te, dicit Dominus. Quare cum Eſther diuinitus ad pericula

cula uocaretur, credit etiam constantissime promissam sibi esse diuinitus salutem, & liberationẽ. Charitatis autem est, ꝙ ponit animam suam pro Ecclesia Dei, & mauult se periculo uitæ exponere, q̃ Ecclesiã Dei in periculis derelinquere. Talẽ certe charitatem exigit Christus a q̃uis pio. Hoc, inquiens, est præceptum meum, ut diligatis uos inuicem sicut dilexi uos. Maiorẽ hac dilectionem nemo habet, ut quis animam suam ponat pro amicis suis, &c. Interim obserua etiã modestiam Esther. Euecta enim in regiam maiestatem, non cõtemnit, non fastidit cognatos suos, homines miserrimos & abiectissimos, sed eo se demittit, ut etiã uitã suã pro ipsis periculo obiiciat. Immane, quantum alij homines ma

Charitatis exemplum.

ſorem præ alijs dignitatem conſecuti, ab hac modeſtia diſtent. Hi enim tanta plerunq; arrogantia inflantur, ut quoſuis, etiam coniunctiſſimos quondam amicos præ ſe faſtidiant. Sed nobis in mentem uenire debet eius dicti, quod eſt in Epiſtola Petri: Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.

CVMQVE VIDISSET ESTHER REGINAM STANTEM PLACVIT OCVLIS SVIS, &c.

Ioſephus & Apocryphũ, dicunt Regem initio aſpexiſſe Reginã truculento & terribili uultu, ac Reginã ita obſtupefactam, ut præ metu pene exanimaretur. Sed cor Regis conſeſtim mutatum eſſe, ac non ſolũ porrexiſſe Reginæ ſceptrum, ſed etiam ulnis ſuis ſuſtentaſſe eam, donec ad

ſere

se rediret. Hoc utcunque se habeat, certe Rex tanto fauore excipit Reginam suam Esther, ut pollicea-tur ei, si petat dimidiam partem regni. Fuisse autem hoc genus promissionis Regibus, si quando maximam alicui gratiam tribuere uellent, solenne, testatur etiam exemplum Herodis, qui puellę saltatrici iurauit, se daturum ei, quicquid petiisset, usque ad dimidium regni sui. Quæ so igitur te, unde Esther tantam inuenit gratiam apud Regem? Alius fortassis diceret, pulchritudinem & uenustatem eius in caussa fuisse Regij fauoris, sed & Vasthi pulchra erat, & tamen repudiata fuit. Quare inquiremus caussam non in corpore Esther, sed in cœlo apud Dominum Deum nostrũ. Hic em̃

cum faueret Reginæ Eſther, ex gratuita miſericordia ſua, effecit, ut & Rex faueret ei. Non enim mirũ eſt, ꝙ quem Deus, a quo non homines tantum, ſed etiamomnes aliæ creaturæ pendent, gratia ſua complecti tur, is etiã apud homines ſit gratioſus. Conſidera autẽ mihi hoc loco, q̃ fœlicem euentum habeant ea negocia, quæ ex fide, & pijs precibus, facienda ſuſceperis. Eſther non aggreditur hoc negocium niſi ante facta precatione, tam ab ipſa, q̃ ab omnibus Iudæis in Suſis. Preces enim reuocant in animum diuinas promiſſiones. Ex promiſſionibus accendit & inflammatur fides. Fidei autem non poteſt deeſſe benedictio Dei. Et credenti omnia ſunt poſſibilia. Quare nihil eſt aggrediendum, ſine

pijs

pijs precibus, ut Deus susceptũ negocium fortunet. Nec hoc prætere undum est, q̃ Esther doceat hic exemplo suo ueram & legitimã rationem, qua uxores possint non iniustam dominationẽ in maritos suos consequi. Rex enim noluit antea sub imperio mulierculæ esse, ideoq; repudiauit Reginam Vasthi. Nũc autem tantam dominationem in se permittit Reginæ Esther, ut quasi captiuus eius, promittat ipsi dimidiã partem regni sui. Quomodo hoc a tãto Rege extorsit Esther? profecto, non conuitijs, nõ contemptu, non fastu, non rixis, non contentione, non improbitate. His enim moribus mulieres magis pugnos & plagas, q̃ imperia & dominationes reportare solẽt. Sed pietate in Deum, reuerentia er

Vxores quo modo dominiũ in maritos consequãtur.

ga uirū, pudicitia, patientia, & alijs honestis uirtutibus. Sic enim mulieres seruiendo & obediēdo dominantur, qua una ratione dominatio mulierum fit legitima. De qua et Petrus scribit: Vxores, inquiēs, subditæ sitis uestris uiris, ut etiam qui non obtemperant sermoni, per uxorum conuersationem, absq; sermone lucrifiant, dum consyderant cū reuerentia coniunctam castam conuersationem uestram, &c.

SI REGI PLACET, OBSECRO, VENIAS AD ME HODIE ET AMANTECVM, &c.

Esther inuitat Regem ad conuiuium. Mulier enim prudentissima non statim reuelat affectū animi sui, sed quærit opportunam occasionem in conuiuio, cum rex est alacer & lætus.

tus. Notum enim est illud. Cum principe ἁπλῶς, ἁπλῶς, aut minime aut iucundissima, loquere. Vocat autem Esther, etiam Amanum ad conuiuium suum, ut accuset eum corã. Hæc est magna honestas. Esther nõ uult Amanum clam apud Regẽ accusare sed coram, in præsentia Amani. Ab hac uirtute lõgissime absunt Sycophantæ & calumniatores, qui solent homines clam accusare, ne accusato sit locus se excusandi aut defendendi. Hoc plane Satanicum est. Vnde et Satan habet nomẽ διαβόλου, hoc est, calumniatoris, quod calumnietur pios in conspectu Dei die ac nocte, &c.

PETITIO MEA ET PRECES SVNT ISTAE, &c.

Vocat Regina Regem et Amanũ

ſecundo ad conuiuium, ut quod petitura erat, maiori oportunitate peteret.

CVMQVE VIDISSET MARDOCHAEVM SEDENTEM ANTE FORES PALATII, &c.)

Perſtat adhuc Mardochæus in ſuo inſtituto, nec ueneratur Amalechitam, etiamſi uulgatum ſit edictum Regis de trucidandis Iudæis. Quo igitur conſilio id facit? Nam ſi uenératus eſſet Amanũ, fortaſſis animus Amani mutatus fuiſſet in beneuolẽtiam, & dediſſet operam, ut edictũ Regis aut retractaretur, aut mitigaretur. Sed Mardochæus ſentiebat iniquũ eſſe, ut eum honoraret, quem Deus execratus eſſet, ut ſupra oſtendimus. Noluit autem pericula cauere iniquitate, aut impietate, ſed dedit

dit operam pietati. Sciebat enim pericula non caueri, sed augeri iniquitate. Quare perstitit in ꝓpoſito ſuo, ac ne mouit quidem ſe de loco ſuo coram Amano.

AMAN REVERSVS IN DOMVM CONVOCAVIT AD SE AMICOS SVOS, &c)

Aman inuitatus a Regina lętiſſimus & ſecuriſſimus eſt. Vnum ſolum eſt, quod torquet eũ, uidelicet, ꝙ ſit deſpectus a Iudæo. Itaqꝫ habet comitia amicorum & uxoris ſuæ, in quibus decernitur ex cõſilio uxoris, Mardochæum cruci ſuſpendẽdum. Et ſic ibis, inquit uxor, cum Rege lætus ad conuiuium. Hic primum obſerua iterum molliciem animi in Amano. Cum hæc omnia, inquit, habeã, nihil me habere puto, quam

diu uidero Mardochæum Iudæum ſedentem ante fores Regias. Qui maximam omnium habebat dignitatẽ poſt Regem in imperio Perſico, nõ poteſt patienter ferre unius Iudæi contemptũ. Quid hoc animo effœminatius? Deinde obſerua præpoſtera conſilia amicorum & uxoris. Aman erat inflammatus ira aduerſus Mardochæum. Quare uxor & amici debuiſſent iram eius extinguere potius, q̃ accendere. Nunc autem addunt oleum camino. Sed quẽ prę poſtero & impio ſuo conſilio honorare ſtudebant, eũ conñciũt in ſummam ignominiã & dedecus. Aman poſtea pependit ex ea cruce, quam amici parauerant Mardochæo. Hoc exemplum nobis idcirco proponitur, ut diſcamus amicis pia et ſaluta

ria

ria consulere, ne si seruiamus cupidi tatibus ipsorum, augeamus, non tol lamus mala. Postremo considera in Amano stupenda & mirabilia iudi cia Dei. Impius enim Aman lætissi mus & securissimus est, de conseruã da & augenda sua dignitate ac poten tia, ac etiam certissimus est de interi tu Mardochæi, quem odio prose quebatur. Sed uide mihi euentum rei. Impius & securus Aman repen tino interitu peribit. Pius aũt & affli ctus Mardochęus, ad maximã digni tatẽ impuiso euehet, quẽadmodum sequentia indicabunt. Hoc est iudi cium illud Dei, q̃d spiritus sanctus in Psal. descripsit. Qui malignantur, exterminabuntur, sustinentes autem Dominũ, ipsi hæreditabũt terram. Et adhuc pusillum, et non erit pecca

tor, quæres locum eius, & non inue nies. Ac mox: Obſeruabit peccator iuſtum, & ſtridebit ſuper eum denti bus ſuis. Dominus autem irridebit eum, quoniam proſpicit, ꝙ uenit dies eius, &c. Huc facit etiam, quod Paulus ait: Cum dixerint pax, & tuta omnia, tunc repentinus eis immi net interitus, ſicut dolor partus mulieri prẽgnanti, nec effugiẽt. Abiicia mus igitur impiam ſecuritatem, & timeamus Deum, ut ambulantes in uocatione Dei, ſeruemur, ſiue cœlũ ruat, ſiue terra moueatur.

CAP. VI.

NOCTEM ILLAM DVXIT REX INSOMNEM, &c.)

In hoc capite habes memorabile & ad

& admirabile exemplum, quo docemur, quanta sollicitudine Deus excubet pro salute piorū, ut seruet eos ab insidijs impiorum, quanta item industria impiorum consilia ita inuertat, ut necesse habeant pios iuuare. Consideremus igit ante omnia, quomodo sese habeant res Mardochęi. Nam quod ad humana attinet, omnia erant comparata & ordinata in exitium Mardochæi. Constitutū erat ab Aman, ut Mardochæus suspenderetur. Crux erat erecta. Nox aderat, præ qua non licebat Reginæ accedere ad Regem, etiamsi maxime uellet pro Mardochæo intercedere. Aman summo mane ingredit in regiam, ut conueniat Regem de suspēsione Mardochęi. Et certum erat, regem Amano nihil denegaturū, quip

pe qui prius impetrauerat omnium Iudæorum internitionẽ, & Regi inter principes acceptissimus erat. Quare nihil certius erat, q̃ Mardochæũ iam iamq; pensilẽ fore. Sed non dormitat, nec ſtertit, qui cuſtodit Iſraelem. Mardochæus igitur, cũ & ipſe eſſet pius Iſraelita, tanto magis Domino Deo ſuo curæ eſt, quanto propinquius eſt exitium eius. Primum enim Deus efficit, ut Rex noctẽ ducat inſomnẽ & perturbatã, & hac occaſiõe reſciſcat ex annalibus beneficiũ Mardochæi. Itaq; neceſſe habet Rex, etſi huius rei ignarus, propter Mardochæum inquietudine affligi. Hoc illud eſt, q̃d in Pſal. ſcribit. Nõ reliquit hominẽ nocere eis, & corripuit pro eis Reges. Pri emm̃ tantę ſunt curę Deo, ut ad ſeruãdos ipſos, ne regibus

gibus quidē parcat, ſed uarijs eos ca
lamitatibus afficiat. In Geneſi, affli- *Pijs etiam re*
guntᵉ Pharao & Abimelech reges, *ges ſeruire co*
ppter Abrahamū, peregrinū quidē, *guntur*
ſed piū & Deo acceptū. In Ioſua cor
ripiuntᵉ Reges Amorreorꝝ propter
Iſraelitas, miſeros quidē, ſed populū
Dei, et inuocatione Dei ambulantē.
In Daniele, Darius Rex magna ani-
mi perturbatione commouetur, pro
pter Danielem, captiuum quidem,
& Leonibus obiectū, ſed Deo cha-
riſſimum. Hęc & id genus alia exem
pla mouere & excitare nos debent,
ut prima omniū cura noſtra ſit, quo
uocationem Dei ex fide ſectemur.
Sic enim fiet, ut & Deus noſtri cu-
ram ſuſcipiat, & cogat nobis etiam
potentiſſimos principes ſeruire: E-
runt Reges, inquit, nutricij tui, &

Reginæ nutrices tuæ. Deinde, cum Rex oblitus esset eius beneficij, quod per Mardochæum, indicatione cõiurationis aduersus Regem, accepe rat, & Mardochęus nullam amplius gratiam pro eo beneficio speraret, di uina dispensatione fit, ut factũ Mar dochæi tunc Regi in memoriam re deat, cum Mardochæo maxime om nium necessariũ est. Imminebat em̃ iam Mardochęo certus interitus, sed occasione lectionis annalium seruatur. Hoc igitur exemplo admonea mur, ut in benefaciendo non defati gemur propter hominum uel obliui onem uel ingratitudinem. Etsi enim homines sunt beneficiorum imme mores, & uetus gratia, ut Pindarus ait, dormit, Dominus tamen Deus noster nunq̃ est obliuiosus, sed re

ponit

ponit benefacta hominũ tanta fidelitate, ut ſemper ea tempore maxime opportuno & neceſſario compenſet. Vides etiam hoc loco, quid Deus in principibus requirat. Excitat enim Regem, non ad uenationes, non ad luſus, non ad helluationem, ſed ad lectionem annalium, & hiſtoriarum, ut ex his admoneatur officij ſui. Moſe iubet Regem exemplar legis diuinæ habere, & omnibus diebus uitæ ſuæ legere. Non eſt autem regum tãtum, ſed & omnium priuatorum hominum, ut uerbi Dei, uel lectione uel recordatione uel auditu, curis ac ſollicitudini ſuæ medeantur. In triſtibus enim et anxijs cogitationibus nõ eſt præſentius remediũ uerbo Dei. Memor, inquit, eſto uerbi tui ſeruo tuo, in quo mihi ſpem dediſti. Hoc

Regum & principum officium

me consolabatur in humilitate mea, quia eloquiũ tuum uiuificauit me. Et mox: Memor fui iudiciorum tuorũ a seculo Domine, & consolatus sum.

STATIMQVE REX. QVIS EST, INQVIT, IN ATRIO? AMAN QVIPPE INTERIVS ATRIVM, &c.

Vocatur Aman ad Regem, ut dicat sententiam suam, quid beneficij & honoris conferendum sit in eum, quem Rex cupiat excellenti honore afficere. Aman igitur, sperans se illum esse, quem Rex uelit honorare, commemorat eximium genus honoris. Sed quod sibi euenturum speraverat, hoc in Mardochæũ regio mãdato transfertur. Nam quem Aman uolebat paulopost in crucẽ tollere, eum necesse habet omnibus ciuibus in regia magnificentia ostentare, & uene

uenerandum commendare. Hęc eſt dextera excelſi, qua fit, ut pijs eueniant bona, quæ impij ſperant, & impijs eueniant mala, quæ pijs parauerant. Quod cum ſit certum & definitum iudicium Dei, nequaq̃ committendum eſt pijs, ut offendantur ſua infœlicitate, & impiorum fœlicitate, ſed potius forti animo in uera pietate pergendum, certa perſuaſione concepta, ꝙ ea ſit futura rerum uiciſſitudo ac mutatio, ut pij accepturi ſint pro infœlicitate ſua temporaria, perpetuam fœlicitatem, impij autem pro ſua fœlicitate, perpetuam infœlicitatem. Cæterum de donis, quæ reges Perſarũ ſolebant dare ijs, quos pro amicis agnoſcebant, ſupra dictũ eſt. Et Xenophon facit mentionem eorum. Erant autem armillæ, tor-

ques, equi frenis aureis insignes. Hęc dona conueniunt aliqua ex parte cum his, quæ in hoc capite recensentur.

AMAN FESTINAVIT IRE IN DOMVM SVAM LVGENS ET OPERTO CAPITE, &c.

Aman commemorat uxori et amicis, magno animi sui dolore, ea quæ de Mardochæo gesta sunt. Respondent igitur amici & uxor: Si Mardochæus, ante quem cadere cœpisti, est de genere Iudæorum, non poteris ei resistere, sed cades in cõspectu eius. Vide, obsecro, præpostera amicorũ consilia & colloquia. Ante enim, cũ Mardochæus adhuc esset abiectus, & Aman potẽs, seruiunt amici cupiditati Amani, & addunt cõsiliis suis incendiũ incendio. Inflammant eũ ipsum

ipſum, ante ſatis incenſum, ad inferendam necem innocenti Iudæo, cũ tamẽ tunc tempus fuiſſet reſtinguendæ iracundiæ, & dehortandi ab incepto, propterea q̃ non impune ferant, qui in Iudæos ſint iniurij. Nũc autem, cum Mardochęus collocatus eſt in excellentem locum dignitatis, & Aman nõnihil e ſua amplitudine deiectus, amici non conſolantur eũ, nec oſtendunt ei rationem euadendi periculi ſui, quod tamen Amano tunc maxime neceſſarium fuiſſet, ſed hærentem inter ſpem & metũ, in deſperationem cõijciunt. Tales cõſiliarios merentur impij, qui cum neminem audiãt, niſi cupiditatibus ipſorum ſeruientẽ, digniſſimi ſunt, ut eorum conſilijs pereant, quorum prudentia ſe ſeruandos ſperauerant.

Cæterum, quod amici dicunt: Si Mardochæus est de semine Iudæorum, non poteris ei resistere, & si nimis sero commemorant Amano, tamen uera recitant, quæ ipsis cognita erant tam experientia, q̃ publica fama diuini uerbi, quod Iudæi inter Persas uulgauerant. Nemo enim potest fœlicem instituti sui euentum habere, qui est iniurius in semen Abrahæ. Dictum em̃ est ad Abraham ũ: Benedicam benedicentibus tibi, & maledicã maledicentibus tibi. Et iterum: Nolite tãgere Christos meos, & in Prophetis meis nolite maligna ri. Ac alias: Qui tangit uos, tangit pupillam oculi sui. Nam semen Abrahæ electum erat in populũ Dei, & Deus coniunxerat se fœdere, cum posteritate Abraami. Qui autem fœderi

deribus inter se coniunguntur, hi inter alia pacta, etiam in hoc conueniunt, ut communes habeant hostes. Quare quisquis fuerit hostis seminis Abrahę, & intulerit ei iniuriam, eum iudicat Deus etiam suum hostem, & in se iniurium. Quis autem consistet, in Deum iniurius, & Dei hostis? Solet quidē aliquoties fieri, ut libido impiorum promoueat, sed ad suum usq; tempus. Si moram, inquit propheta, fecerit, expecta illū, quia ueniens ueniet, et non tardabit. Et Hieremias: Non repellet in sempiternū Dominus. Exēpla habes in Aegyptijs, in Nebucad Nezare, in Antiocho Epiphane, & innumeris alijs, qui etsi in affligendis Israelitis fuerunt aliquamdiu fœlices, tamen perierunt uel tandem, & conseruati

sunt Israelitæ. Porro nunc post aduentum Christi, & diuulgationem Euangelij in totum orbem terrarū, uerum semen Abrahæ, ac ueri Israelitæ sunt, quotquot in semen Abrahæ, qui est Iesus Christus, credunt. Hæc est Ecclesia Christi, de qua Propheta ait: Veniūt ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabūt uestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi. Quare quod amici Amani de semine Iudæorum dicunt, hoc nunc ad Ecclesiam Christi pertinet. Qui enim Ecclesiam persequunt, nō possunt cōsistere, sed necesse habēt cadere.

CAP.

CAP. VII.

INTRAVIT ITAQVE REX ET AMAN VT BIBERENT CVM REGINA, &c.

Aman habet quidem adhuc non nihil ſpei, ꝙ ad conuiuium Reginę una cũ Rege uocatus ſit, ſed ea ſpes mutatur ſtatim in deſperationẽ. Regina eñ inſtituit in hoc conuiuio grauiſſimam accuſationem corã Rege, aduerſus Aman. Venditi, inquit, ſumus ego & populus meus, ut conteramur, iugulemur & pereamus. Et hoſtis ac inimicus noſter eſt peſſimus ille Aman. Pietas Eſther, ſupra commendata eſt. Et Eſther aggreſſa eſt hoc negociũ magna fide. Quid ergo hoc eſt, ꝙ nunc accuſat Amanum? An non pijs omnibus manda-

tum est, ut non resistant malo, & ut obuertant alteram maxillam, impingenti alapam in dextram? Non enim hæc est noua lex, Christianis tantum lata, sed est uetus lex, etiam Iudæis tradita, cum dicitur: Mea est ultio & ego retribuam dicit Dominus. Quid ergo ad hanc accusationem, qua Regina resistit malo, & quærit ultionem, dicendum erit? Profecto nequaq̃ damnanda est, sed multis nominibus est iustissima. Primum, quia non est ex mendacijs & calumnijs composita, sed est uerissima. Deinde quia fit legitimè, reo coram præsente & audiente, ut habeat locum sese defendendi, si possit. Postremo, quia hæc accusatio est imploratio auxilij legitimi magistratus, & est petitio non illegitimę, sed

sed legitimæ ultionis. Nam quod dicitur: Malo non esse resistendum, sed Deo ultionem relinquendam, intelligendum est de illegitima ulti one. Nam qui non ulciscitur se pri uata temeritate, sed inuocat legitimã opem magistratus, is uere dicitur re linquere ultionem DEO, hoc est, diuinæ ordinationi. Magistratus enim in hoc diuinitus ordinatus est, ut sit ultor ad iram ei, qui quod ma/ lum est, fecerit. Quare accusatio Re ginæ est iustissima, ac non solum fuit licita, uerumetiam hoc tempore necessaria.

QVOD AVDIENS AMAN, ILICO OBSTVPVIT, &c.

Aman obstupescit, obmutescit, & corruit præ mentis defectione super lectum, aut scamnum, quo sede

bat Esther. Hoc est supplicium omnium impiorum. Priusq̃ enim agnoscunt magnitudinem peccati sui, uiuunt secure, contemnunt Deum, persequuntur pios, somniant se perpetuo fortunatos fore. Postq̃ autem reuelatur & obtruditur eis peccatum palam cognoscẽdum, confestim obmutescunt & desperant. Et qui antea nullas non excusationes ac defensiones in manifestis etiam sceleribus, coram humano iudicio, summa eloquẽtia cõmemorare potuerunt, nunc iudicante Deo, ne mutire quidem uel sciunt uel audẽt. Apud Matthæum, is qui non erat ornatus ueste nuptiali, audit tantum, Amice quomodo huc intrasti, non habens uestem nuptialẽ & cõtinuo obmutuit. Et hoc est, quod etiam Psal. ait: Erubescant

im

impij & deducantur in infernū, mutafiant labia dolosa. Quæ loquunt aduersus iustum iniquitatem, in superbia & in abusione. Obserua etiã hoc loco exemplum, quo probatur calumnias & mendacia nõ posse diu latere, sed diuina gubernatione patefieri, ut & piorum innocentia in lucem ueniat. Quare nihil impie suspiciendum est aduersus calumnias, sed si non potes innocentiam tuam legitime tueri, perdura in innocentia, & pietate. Tempus enim erit, quo non homines tãtum, sed & angeli refutabunt calumnias impiorum, & testabuntur de innocentia piorum.

REX AVTEM IRATVS SVRREXIT, ET DE LOCO CONVIVII, &c.

Etsi ira Regis est iustissima, & supplicium, quod Rex iubet inferri A

mano, est æquissimũ, mirum tamen est, q̃ Rex non referat tantam causam tanti principis, ad cognitionem iudicum Regiorum, iuxta Persicam consuetudinem. Sed leges non inepte cõferuntur cum telis aranearum, quas magnę aues perrumpunt, et ſolæ muscę irretiuntur ipsis. Quare & si Amã iustissime adeoq̃ diuina administratione plectitur, tamen quod faciunt Reges per præcipitem iram, ut aliquoties est iniustissimum, ita semper est mali exempli.

ETIAM REGINAM VVLT OPPRIMERE ME PRAESENTE, &c.

Hoc non cogitauerat quidem Aman, (non enim uolebat Reginæ uim inferre, sed potius Reginæ supplex esse) non habet autem quod de iniustitia cõqueratur. Aequũ em̃ et iustum

ſtũ ſuppliciũ eſt, ut ſi tu innocentem calũnijs & mendacijs oppreſſeris, uiciſſim calumnijs & mendacijs oppri maris. Peccat qui mendaciũ menda cio cõpenſat, ſed ei, q̃ ante mendacio uſus eſt, nihil accidit iniquitatis, ſi & ipſe uiciſſim mendacio affligatur. Si audire, inquit, nolueris uocem Do mini, omni tempore ſuſtineas calum niam, & opprimaris uiolẽtia, nec ha beas, qui te liberet.

NECDVM VERBVM DE ORE REGIS EXIERAT, &c.

Hebræus legit: Verbũ egreſſum eſt ex ore Regis & faciẽ Aman ope ruerunt, hoc eſt, Rex iuſſit Amanum abripi ad extremũ ſupplicium. Quare ſerui Regis operiunt faciem eius, ut abducerent ipſum ad ſupplicium. Notum eſt illud apud Ciceronem et

Liuium. I lictor, colliga manus, caput obnubito, arbori infœlici ſuſpendito. Ex quo manifeſtum eſt, conſuetudinem quondam fuiſſe, damnatis caput obnubere, ſeu faciem uelare. Cæterum, priusq̃ Aman ſupplicio affectus eſſet, indicatum eſt Regi de cruce, quam Aman Mardochæo parauerat. Quare ſuſpenſus eſt huic cruci Aman, præcepto Regis. Hunc uitæ exitum habuit crudeliſſimus tyrannus & perſecutor Eccleſiæ Domini. Atq; hoc eſt illud Dei iudicium, de quo Dauid in Pſal. concionatur: Ecce parturit iniuſticiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Lacum aperuit & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit. Conuertetur dolor in caput eius, & in uerticem ipſius iniquitas eius deſcendet.

Et

Et iterum: Vidi impium ſuperexal tatum, & eleuatum ſicut cedros liba ni. Et tranſiui & ecce non erat, quæ ſiui eum, & non eſt inuentus locus eius. Quid ergo facias dum impij ty ranni perſequuntur Eccleſiam Dei, & inſidiantur uitæ tuæ? Num dere linques Eccleſiam abnegatione tua? at hoc non eſt periculum fugere, ſed in periculum incidere. Num deſpõ debis animum de tua & Eccleſiæ ſa lute? At certiſſima & ueriſſima eſt promiſſio Dei. Pro eo, inquit, q̃ de relicta fuiſti & odio habita, & non erat, qui per te tranſiret, ponam te in ſuperbiam ſeculorum, gaudium in generatione & generationem. Et Chriſtus: Ecce uobiſcum ſum oĩbus diebus uſq̃ ad conſummationẽ ſecu li. Quare nõ potes nec melius quic

quam nec utilius facere, quam ut cõ firmata fide, imiteris Dñm tuũ, q̃ eo magis deridet impios, quo crudelius p̃sequunt̃ pietatẽ. Astiterunt Reges terrę & principes cõuenerunt in unũ aduersus Dñm, & aduersus Christũ eius. Dirumpamus uincula eorꝝ et p̃ ĵciamus a nobis iugum ipsorꝝ. Qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos. Et iterũ: Obseruabit peccator iustum, & stridebit super eum dentibus suis. Dominus autem irridebit eum, quoniam prospicit, q̃ ueniat dies eius.

CAP. VIII.

DIE ILLO DEDIT REX ASSVERVS ESTHER REGINAE DOMVM AMAN &c.

Impius Aman pendet, quod sup plici

plicium præparatum erat pio Mardochæo. Mardochæus autem extollitur in eam dignitatem, qua Aman antea prędituſ fuerat. Domus q̃que Aman, donatur Regine Eſther. Hoc plane illud eſt, quod in Pſal. ſcribitur: Qui malignantur, exterminabũtur. Suſtinentes autem Dominũ ipſi hæreditabunt terram. Et adhuc puſillum, & non erit peccator, quæres locum eius & nõ inuenies. Manſueti autem hæreditabunt terram, & delectabũtur in multitudine pacis. Noli igitur æmulari in eo qui proſperatur in uia ſua, in homine facente iniuſticias, deſine ab ira & derelinque furorem, noli æmulari ut malig neris. Sed quid? nũ hoc & id genus alia exempla talem uſum habent, ut diſcamus ex ipſis, quoſuis pios ex pe

riculis & aduersis suis sic liberari, ut consequantur in hoc seculo opes & dignitates impiorum, quemadmodum Esther & Mardochæus consecuti sunt bona Amanꝰ. Nihil certe minus. Extant quidem multa exempla, quibus manifestum est, ꝙ pij in externis periculis seruati, consequantur oppressorum impiorum opes, etiam in hoc seculo. Sic enim Dauid quem persecutus est Saul, accepit regnum Saulis. Sic Daniel coniectus in lacum Leonũ seruatur, & consequitur principatum eorum, qui ipsum inuide accusauerant, hæc autem exempla, nõ sunt idcirco nobis proposita, ut sentiamus pios semper recipere mercedem pietatis in hoc seculo, oppressis externa & manifesta uiolentia impijs, sed sunt proposita nobis.

bis, ceu cœleſtia ſigilla, quibus Deus confirmat, ſe pios ſemper ſeruaturum, quocunq; id modo fiat. Poſtq̃ enim Adam peccauit, & per peccatum mors in hunc mundũ intrauit, non eſt ordinatum præſens illud ſeculum ad hunc uſum, ut pij recipiant in eo omnem ſuam fœlicitatem diuinitus promiſſam, ſed ut in eo ꝓmiſſiones Dei diſcant, ac per fidem accipiant, ſenſum autem ſeu fructum rerum promiſſarum in futuro ſeculo conſequantur. Nam ꝙ nõnulli pij, etiam in hoc ſeculo, impijs mirabiliter oppreſſis, ſeruati ſint externo auxilio, idcirco factum eſt, ut Deus ſignificaret ſe adhuc rerum potiri, & omnia gubernare, & ut his miraculis confirmaret fidem piorum, ꝙ etſi non uident ſeruari in hoc ſeculo mi

rabiliter, Deus tamẽ repoſuit eis ue ram ſalutem, ſuo & tempore & ſecu lo reuelandam. Interea autem tempo ris, contenti ſimus Euangelio ſeu p miſſione Dei, & quod ad Paulũ ro gantem, ut abſcederet angelus Sata næ, dictum eſt: Sufficit tibi gratia mea, hoc idem etiam nobis ſemper dici exiſtimemus. Nam ſi Deus com plectitur nos gratia ſua propter Ie ſum Chriſtum, quę, obſecro, calami tas, imo quæ mors poteſt nobis no cere? Siue uiuimus, inquit Paulus, ſiue morimur, Domini ſumus. In hoc enim Chriſtus mortuus eſt & re ſurrexit, & reuixit, ut mortuis ac ui uentibus dominetur.

OBSECRO VT NOVIS EPISTOLIS, VETERES AMAN LITERAE INSIDIA TORIS, &c.

Eſther

Esther non solum impetrat, ut re tractetur prius edictum, quo mãda tum erat, ut uno die omnes Iudęi tru cidarentur, sed etiam impetrat, ut ui cissim eo die hostes Iudęorum occi dantur. Exemplar huius retractatio nis extat inter Apocrypha, & est sum ptum ex Iosepho, qui more suo reci tauit, quid uerisimiliter, pro suo iu dicio, scribi potuerit. Quales etiam sunt orationes Liuianæ, & aliorum historiographorum. Hic ergo consi dera mihi potentiam dexterę excelsi. Edictũ Regis antea propositũ, mag na erat autoritate confirmatũ, & iux ta Persicam consuetudinem non ui debatur possibile, ut retractaretur. Et tamen, cum cor Regis sit in manu Dei, edictũ Regis diuina guberna tione ita inuertitur, ut plane contra-

rium ſtatuatur. Quare edicta Regũ aduerſus pietatem non ſic formidanda ſunt, ut propter ipſa deſeramus uel confeſſionem uel patrociniũ piæ doctrinæ, ſed de clementia Dei bene ſperandũ eſt, & in uocatione Dei pergendum, certa perſuaſione concepta, ꝙ qui propter Eccleſiam & piam doctrinam miſit unigenitum filium ſuum in hunc mũdum, & excitauit eum a mortuis, ac iuſſit eum ſedere a dextris ſuis, is Eccleſiam ac piam doctrinam inſaniente etiamnũ, & contradicente untuerſa huius mũdi potentia, adeoꝙ reſiſtentibus omnibus portis inferi, ſeruaturus ſit. Etſi enim crudelia potentum edicta minantur grauiſſima quæꝙ ſupplicia, & aliquoties pios etiam opprimunt, ac neci tradunt, tamen qui in

Chri

Christo occumbunt, non moriunt, sed uiuunt, non pereunt, sed cũ uniuersa Ecclesia, in Christo seruantur. Ac finge mihi nec Amanum suspensum, nec edictum Regis retractatũ, sed Iudæos, adeoq; Mardochæum ipsum, in Persia trucidatos fuisse. Quid? num Ecclesia perijsset? certe nec ea quæ in cœlo est, nec ea quæ in terra est, perijsset. Nã qui occubuissent in fide seminis Abrahæ, hoc est, Christi, his mors fuisset lucrũ, et liberatio ab omnibus malis. Et, q̃d Ioannes ait, Deus feciſſet, ut uel ex lapidibus surrexissent in terra filij Abrahæ, tantum abest, ut Ecclesia e terris ante nouissimum diem tyrannide Regis Persici auferri potuisset. Da enim aut Ecclesiam in terris, aut nouissimum huius seculi diem. Inter

hæc nullum est medium. Si autem manet Ecclesia in terris, ad extremũ usque diem huius mundi, manebunt etiam omnia quæ Ecclesiæ sunt necessaria, uidelicet ministerium Euangelij & Sacramentorum, ac regna, imperia & politiæ, quæ sint Ecclesiæ & Euangelij hospitia. Habes & hoc loco in Rege Assuero exemplum honesti animi, quod malit iniquum & crudele edictum ingenue retractare, quam pertinaciter tueri. Alij, ut constantes & prudentes uideantur, defendunt manifestam crudelitatem & impietatem. At hæc demum uera est uirtus, ut errorem agnoscas & corrigas, non ut peruicaciter eum defendas. Nec pudere te debet, sententiæ Spiritus sancti cedere, qui ait: Omnis ho

Ecclesia semper in mundo

Error agnoscendus.

mo mendax, & in eorum esse numero, qui non sunt perfecti in hac carne, sed crescunt adhuc in gratia & cognitione Domini DEI nostri &c̄.

ERAT AVTEM TEMPVS TERTII MENSIS, QVI APPELLATVR SIVAN &c.

Tertius mensis Hebræis dicitur סיון Siuan, et respondet partim Maio, partim Iunio nostro. Meminit autem scriptura temporis, ut indicet quanto tempore Iudæi in maximis periculis, sine omni externa consolatione uersati, & quasi derelicti fuerint. In primo enim mense editum est edictum aduersus Iudæos, quemadmodum supra capite iij. scribitur. Nunc autem retractatur illud edictū in tertio mense. Itaq; Iudæi interea

temporis sustinent grauissimas tentationes de cędibus & internitione ipsorum. Cæterum, ꝙ Deus nõ statim afferat sensibilem opem afflictis, sed sinat eos uehementer perturbari, suo id facit consilio, & magno piorum commodo. Differt enim opem, non ꝙ non uelit ferre opem, sed ut exerceat fidem, & excitet in nobis inuocationem. Prætera ut faciat liberationem iucundiorem, & reddat ꝑ magna afflictione, magnum gaudiũ. Dicit enim in Esaia capite liiij. Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus MAGNIS congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te, & in misericordia SEMPITERNA colligam te. Et in Threnis Ieremię. Nõ repellet Dominus in æternum. Etsi

Pijs quare opem Deus differat.

affli

affligit, miserebitur secundum multitudinem miserationum suarũ. Quare quanto maiores & diuturniores sunt afflictiones, tanto certiorem spẽ de liberatione Dei & salute nostra cõcipiamus, & eam spem inuocatione nominis Dei sustentemus.

IVDAEIS AVTEM NOVA LVX ORIRI VISA EST, GAVDIVM, &c.

Non solum Iudæi consequuntur liberationem, sed & magno honore afficiuntur a gentibus. Gentes congratulantur Iudæis, & multi ex gentibus accipiunt hac occasione ueram cognitionem Dei, ac fiunt, abiecta idololatria, sectatores ueræ religionis. Memorabile exemplum, quo agnoscimus, qualis sit euentus summorum periculorũ populi Dei seu Ecclesiæ. Iudæos manebat extrema

internitio, in Monarchia Perſica. Et haud dubie multi ex impijs ſiue Iudæis, ſiue gentibus dixerunt. Vbi eſt Deus eorum? Sed quo maius eſt periculum, eo illuſtrior fit gloria Domini Dei noſtri & Eccleſiæ eius. Quanta, obſecro, fuit tyrannis Aegyptiorum, qua opprimebantur Iſraelitæ? & tamen quo crudelior erat, eo propinquior & glorioſior fuit liberatio. Vetus et uer⁊ eſt dictū: Tunc uenit Moyſes, cum duplicantur lateres, hoc eſt, tunc proxima eſt ſalus, cum maxima eſt afflictio. Capta arca Domini a Philiſtinis, uidebatur religio Iſraelitarum interijſſe. Hac aūt occaſione non confirmatur tantum, uerumetiam illuſtratur. De uaſtata urbe Hieruſalem a Nebucad Nezare, & eiectis Iudæis in exiliū.

Eccle

Ecclesia Domini uidebatur extrema internitione perire, sed ea deuastatio fuit dilatatio Ecclesię, tantum abest, ut fuerit eius exitium, quemadmodū ex Daniele manifestum est. Dicit & Christus: Injciēt in uos manus suas & persequentur. Trademini etiā a parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis. Erit afflictio magna super terram. Sed addit: His fieri incipientibus suspicite & attollite capita uestra, quoniam appropinquat redemptio uestra. His & id genus alijs exemplis testatus est Deus admirabilē suam potentiam, industriam & clementiam, ꝙ quæ apud homines uidentur panolethria, ea sunt Deo organa salutis Ecclesiæ suæ. Quod aūt de salute uniuersæ Ecclesiæ dicitur, hoc pertinet etiā ad priuatum quem-

uis, qui est membrum Ecclesiæ. Nõ pro eis, inquit Christus, rogo tantum, sed & pro ijs, qui credituri sunt per sermonem eorum in me. Quare calamitates, quamuis magnę, debẽt nos magis ad fidem inflammare q̃ a fide in desperationem deijcere.

CAP. IX.

IGITVR DVODECIMI MENSIS, QVEM ADAR VOCARI, &c.

Superiores, inquit, Iudæi esse cœperunt, & se de aduersarijs uindicare. Quid ergo illud est, quod dicit: Mea est uindicta, & ego retribuam? Hoc est uerbum Dei, quo non significatur, ꝙ nunq̃ ulla iniuria sit uindicanda, sed ꝙ non debeat uindicari priuata temeritate, illegitime, &

abſq; uocatione Dei. Vindicta autem, qua Iudæi ulciſcuntur iniurias ſuas in Perſica Monarchia, eſt legitima. Non enim trucidant quoluis Perſas, quis enim fuiſſet modus cædis? & quomodo Perſæ, qui tunc rerum potiebantur, potuiſſent tantam ſæuitiam Iudæorum ferre? ſed trucidant eos, qui, edito priori edicto Regis, manifeſtas iniurias Iudæis intulerant, & fortaſſis facultates eorum ante decretū diē abſtulerāt aut etiam q̄ſdam interfecerāt. Ac trucidāt eos, nō priuata autoritate, ſed primū autoritate Dei, qui p̄miſerat Iſraelitis victoriā ſup hoſtes ſuos, deinde Regis Perſici, qui dabat eis publico edicto gladium in manus, ut ulciſcerentur aduerſarios ſuos. Quare hæc eſt diuina ultio, quam Deus retribuit im-

pijs, ministerio Iudæorum. Hoc autem exemplum nobis propositū est, non ut usurpemus uindictam iniurijarum, priuato arbitrio. Benefacite, inquit, ijs, qui uos odio prosequuntur, sed ut agnoscamus seueritatem diuinæ irę aduersus impios populi Dei persecutores, & ut in persecutione certissimam liberationem per fidem expectemus, ac uocationi Dei obediamus.

PERCVSSERVNT IVDAEI INIMICOS SVOS PLAGA MAGNA, &c.

Eodem die, quo Iudæi debebant trucidari, trucidantur hostes eorum. Idem exemplū habes supra in Amano, qui eidem cruci suspensus est, quam Mardochæo parauerat. Sic Aegyptij eodem mari obruebantur, ad quod coegerāt Israelitas obruendos.

dos. Sic & Saul, qui obiecerat Dauidem Philistinis trucidandum, a Philistinis oppressus est, & Dauid consecutus est regnum Saulis. Hæc docent partim fidem in perferenda persecutione impiorū, partim timorem Dei, ut caueamus ab inferenda alijs iniuria. Nam quod alteri iniuste inferre cogitas, hoc diuina gubernatione in caput tuū recidet. Syrach ait: Qui in altum mittit lapidem, super caput eius cadet. Et plaga dolosa, dolosi diuidet uulnera. Qui foueam fodit, incidet in eam. Qui statuit lapidē proximo suo, offendet in eo. Qui laqueum alij ponit, peribit in illo &c̄.

ET DECEM FILII AMAN IN PATIBVLO SVSPENDANTVR, &c.

Esther non est cōtenta, ꝙ Aman

ſuſpenſus ſit, ſed rogat ut etiam filij Aman ſuſpendantur. Hoccine eſt pietatis? An non ſcriptum eſt: Non occidentur patres pro filijs, nec filij pro patribus, ſed unusquiſque pro peccato ſuo morietur? Et iterum: Nõ portabit filius iniquitatẽ patris ſui? Recte. Siquidem filius fuerit innocens. Iudicante autem Domino, nec pater nec filius eſt innocens. Non enim iuſtificatur in cõſpectu tuo omnis uiuens. In diluuio iudicabat Dominus. Itaq; perierunt ſimul parentes & infantes. In incendio Zodomę iudicabat Dominus. Quare abſumpti ſunt igni tam patres q̃ liberi. Sic & in Monarchia Perſica iudicabat Dominus contra Amanum & manifeſtos hoſtes Iudæorum. Quare filij Amani & hoſtium, non iniuria trucidan

Iudicante Domino nemo innocens.

cidantur. Scriptum eſt hoc in admonitionem parentum, ut excitentur ad ſectandam pietatem, ne una cum ipſis trahant etiam liberos ſuos in exitium, id quod factum eſt Eli, Sauli, Ierobeamo, Ahabo, & multis alijs. Hæc ſeueritas Dei extat in Decalogo. Viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me.

NEC EORVM AB ILLIS DIREPTA EST SVBSTANTIA, &c.

Iudæi non acceperunt facultates interfectorum, ſiue quod in Regiũ fiſcum relatæ ſint, ſiue quod admoniti a Mardochæo, quanta ſeueritate Deus ſit ultus Saulem, cum aliquid ex præda Amalec repoſuiſſet, abominati fuerint omnia bona Amani Amalechitæ, & aliorum hoſtium,

qui etsi ipsi non erant Amalechitæ, tamen quia consenserunt cum Amano, iudicati etiam sunt cū omnibus facultatibus suis maledictioni obnoxij esse. Cogita nunc mihi quam horribilis res sit impietas, propterea ꝙ non solum reddat hominem, qui eam designat, uerumetiam hominis familiam, facultates, & quæcunq; nomine bonorum ueniunt, execranda & abominabilia. Quare, ne tu na cum familia & omnibus rebus tuis maledictioni obijcias, suscipe studium ueræ pietatis, per fidē in Christum Iesum, qua una re fiet, ut cœlestem omnium rerum benedictionē consequaris.

SCRIPSIT ITAQVE MARDOCHAEVS OMNIA HAEC, ET LITERIS COMPREHENSA, &c.

Hic

Hic locus mouet quoſdam, ut ſentiant Mardochęũ hunc libellum Eſther cõſcripſiſſe. Philo aũt in fragmẽto ſuo ita dicit: Ioiakin pontifex ſcripſit geſta Eſther, & inſtituit memoriam Purim, hortante illũ per literas Mardochęo. Ex his uerbis Philonis habes Mardochæum adnotaſſe quidem capita huius Hiſtoriæ, pontificem aũt Ioiakimum conſcripſiſſe libellum, & autoritate ſua confirmaſſe inſtitutionem feſti, quod uocarunt, Purim. Res igitur geſta Eſther duobus modis commendata eſt poſteritati, Altero, publico & uulgato ſcripto, Altero inſtitutione dierum feſtorum Purim. Hic enim Libellus ſcriptus eſt, nec propter Mardochęum, nec propter Eſther, nec propter eos Iudæos, qui hoc tempore ui

tam agũt, sed propter uniuersam Ecclesiam DEI. Et scriptus est, non ad commendandũ nomen hominis cuiusdam uel Mardochæi uel Esther, sed ad commendandum nomen Domini Dei nostri, uidelicet, ut Ecclesia cognoscat ex his gestis rebus, quanta cura, quanta potentia & industria Deus tueatur populum suum, quanta item seueritate & grauitate deijciat impios populi sui persecutores. Iudæi, qui nostro tempore hoc nomine gloriantur, mirum in modũ sibi placent lectione huius Historię. Et si pius quispiam magistratus tractauerit ipsos seueriter, ac eijciat eos e finibus suis, tribuunt ei cognomen Aman, & hoc unum sperant ac spirant, ut liceat ipsis uindictam sumere de hostibus suis, hoc est, Christianis

anis, inter quos uitam agunt, quemadmodum hæc Hiſtoria teſtatur Iudæos de hoſtibus in Perſia uindictam ſumpſiſſe. Hæc eſt impiorum Iudæorum gratitudo, quam rependunt Chriſtianis pro hoſpicio, pro maximo ſcilicet beneficio, maxima malefacta, hoc eſt, cędem & latrocinia. At non habent, quod hoc tempore de Hiſtoria Eſther glorientur. Pertinet enim hæc Hiſtoria ad populum & Eccleſiam Dei. Iudæi autem, quia abiecerunt Chriſtum, uerum ſemen Abrahæ, non ſunt amplius populus Dei, nec Eccleſia eius, ſed pertinent ad Iſmael & Eſau, qui ſemper uerum ſemen Abrahę perſecuti ſunt. Et ga ueros Iſraelitas, qui ſunt Chriſtiani, eodem odio proſequuntur, quo quõdam Aman eos proſecutus

Iudæi noſtri affines Amani.

eſt, manifeſtum eſt ipſos eſſe cognatos & affines Amani Amalechitæ, quę gens ſumma ſemper inuidia extremam Iſraelitarum internitionem ſpirauit. Quare tantum abeſt, ut Iudæi qui nunc ſunt, poſſint ſibi aliquam ſpem liberationis ſuæ, & exitij Chriſtianorum, ex hoc libello polliceri, ut magis in Amano extet manifeſtum exemplum, quod cum cœperint cadere ante Eccleſiã Chriſti, nunquam poterunt ſeſe erigere, niſi conuertantur ad Chriſtum, qui ſolus eſt ſalus noſtra. Porro, dies feſti, qui inſtituuntur, uocati ſunt, Purim, hoc eſt, Sortes, פור Pur eñ ſignificat ſortem. Sic autẽ dicti ſunt ab ea ſorte, qua Aman inquiſiuit fœlicem menſem & diem ad trucidandos Iudæos, de qua ſupra cap. tertio

ſcrip

ſcriptum eſt. Sed quid eſt, inquis, ꝙ inſtituant nouos feſtos dies, cum tamen in lege ſcriptum ſit. Quod præcipio tibi, hoc tantum facias. Nec addas quicq̃ nec minuas? Numerus autem dierum feſtorum in lege certus eſt & definitus. Cur ergo his addun tur noui dies feſti? Eſaias quoq; dicit: Fruſtra me colunt docentes doctrinas, mandata hominum. Dicemus igitur hanc dierum Purim inſtitutionem fuiſſe humanum commentum? De hac re ſic ſentiendũ eſt, ꝙ cum ſcriptura dicat de lege Moſi. Nec addas quicq̃ nec minuas, loquatur tantum de cultu Dei. Voco autẽ nunc cultum Dei, ea ſacra quæ inſtituta fuerunt ad expiatiõem peccatorum, qualia ſunt ſacrificia, & quæ cunq; ad ipſas ſacrificiorum cerimo

nias atq; peractiones pertinebant. Itaq; Ierobeam dicitur addidisse aliquid legi, q; instituerit nouos cultus, noua genera sacrificandi, aut trãstulerit sacrificia ad illegitima loca contra legem. Sic dicuntur legi aliquid addidisse, qui sacrificauerunt in excelsis, in lucis, & alijs illegitimis locis. Quare etsi sentiebant se his sacrificijs uerum Deũ colere, tamen impie aduersus Deũ peccabãt, propterea q; abutebantur sacrificijs aduersus uerbum Dei. Institutione autem dierum Purim, non est a Pontifice et Mardochæo peccatum, quia cum lex dicit: Nec addas quicquam nec minuas, non loquitur de ordinationibus politicis, quę publicę tranquillitatis uel alterius præsentis utilitatis gratia instituuntur. In

hunc

huncordinem non tantum referēda sunt illa, quæ post legem Mosi de successione hæredum cōstituta sunt, quale est illud, quod Philo cōmemorat de successione Ahischarim. Et uerisimile est multa id genus ordinata fuisse per Reges in Israel, quæ non fuerunt quidem contra legem, non sunt autem diserte in lege comprehensa. Quis enim legislator posset paruo uolumine comprehendere omnes humanos casus, in tanta populi multitudine? Hęc, inquam, & alia id genus non tantum referenda sunt in numerum politicarum ordinationum, sed etiam ea quæ instituta fuerunt ad conseruandam memoriā diuinorum miraculorum, & ad admonendos homines de præsenti rerum calamitate. In hunc usum institutus

fuit cantus Psalmorum, uidelicet, nō ut cantu redderetur Deus propitius, sed ut homines erudirentur Psalmis ad pietatem, & admonerentur de diuina clementia miraculis etiamnum comprobata. In hunc usum instituit Samuel statuam adiutorij, quemadmodum scriptum est in priori libro Samuelis cap. septimo. Instituit autē hanc statuā, nō ut adoraret, sed ut esset publicū testimoniū eius uictorię, quam Israelitæ ex Philistinis, diuino ac cœlesti miraculo reportassent. Fuerunt & ieiunia usitata, non ut cultus Dei, hoc est, ut expiatio pro peccatis, sed ut humana disciplina, qua homines admonerentur de præsenti periculo, & retinerentur in officio precationis. Sic & instituti fuerunt dies festi Purim, non ut cultus Dei,

hoc

hoc eſt, ut ſatisfactio peccatorũ, ſed ut ciuilis ordinatio, quæ teſtaretur ea, quæ in Eſther deſcripta ſunt, nõ eſſe humana commenta, ſed reipſa ſic geſta, & ut hac anniuerſaria memoria bonitas Dei erga Eccleſiam ſuam, ac ſeueritas eius erga impios publice commendarentur. Quare inſtituere hos feſtos dies, non fuit aliquid legi addere, ſed potius legem, quæ exigit ut mirabilia Dei opera prædicentur, conſeruare.

CAP. X.

REX VERO ASSVERVS OMNEM TERRAM, &c.

Quæ ſcriptura hoc loco de tributis & magnitudine imperij Darij,

seu Assueri commemorat, supra indicauimus. Et Herodotus nonnulla de his scripta reliquit. Vtinam autem extarent ea Medorum & Persarum Chronica, quorum hic fit mentio. Possemus enim ex his omnia certius cognoscere, quam ex illis scriptorum fragmentis. Et tamen maximæ sunt habendæ gratiæ Domino Deo nostro, qꝑ uel pauca illa beneficio suo, tanta serie seculorum, in tantis regnorum mutationibus, inter tot arma & ignes, in tam uarijs casibus, & tanto rerum discrimine conservata, & ad nos usqꝫ ꝓpagata sint.

QVAERENS BONA POPVLO SVO, &c.

Magna laus est Mardochęi, quod tantam curã populi seu Ecclesię Dei susceperit, ut priuatus adhuc, nullũ

non

ron periculum adierit, quo Ecclesiã iuuaret, & postea in maximam dignitatem euectus, omnem operam suam ad conseruandam Ecclesiam contulerit. Hoc est officium Principũ, quo certe non tantum Ecclesiam iuuant, sed etiam suæ ipsorum saluti consulunt. Nec est alia ratio, qua seruari possunt, nisi ipsi pro sua uirili et uocatione seruent Ecclesiam.

Reliqua, quæ post hanc περικοπὴν decimi capitis in uulgatis libris sequuntur, non sunt Canonica, nec habentur in Hebræo libello Esther, sed sunt huc ex Iosepho transposita, et habentur inter ἀπόκρυφα, hoc est, abscondita seu domi reposita, quæ & si suam priuatim utilitatem afferunt, tamen non habent publicam autoritatem. Diximus & de his antea quæ

dam. Quare umbilici loco illud Pauli addemus. Quæcunq; præscripta sunt, in nostram doctrinã prescripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.

Δόξα ἐν ὑψίστοις θεῷ.

DE DARIΩ

FILIO HYSTASPIS, QVEM METASTHENES VOCAT Artaxerxem Assuerum, Et qui fuit maritus Esther. Ex IVSTINO.

CYRO successit filius Cambyses, qui imperio patris Aegyptum adiecit, sed offensus superstitionibus Aegyptiorum, Apis, cæterorumque Deorum ædes dirui iubet. Ad Ammonis quoq; nobilissimum templum expugnandum exercitum

citum mittit, qui tempestatibus & arenarũ molibus oppressus interijt. Post hæc per quietem uidit fratrem suum Smerdim regnaturum, quo somnio exterritus, nõ dubitauit post sacrilegia, etiam parricidium facere. Erat enim difficile, ut parceret suis, qui contemptu religionis, grassatus etiam cõtra deos fuerat. Ad hoc tam crudele ministerium, Magum quendam ex amicis delegit, nomine Praxaspem. Interim ipse gladio sua sponte euaginato, in fœmore grauiter uulneratus occubuit, pœnasq; luit, seu imperati parricidij, seu sacrilegij perpetrati. Quo nuncio accepto, Magus ante famam amissi regis occupat facinus, prostratoq; Smerde, cui regnum debebatur, fratrem suum subiecit Smerdim. Erat enim

oris & corporis lineamentis perſimi
lis, ac nemine ſubeſſe dolum arbi-
trante, pro Smerde, rex Smerdis cõ
ſtituitur. Quæ res eo occultior fuit,
quod apud Perſas perſona regis ſub
ſpecie maieſtatis occulitur. Igitur
Magi ad fauorem populi concilian-
dum tributa & militiæ uocationẽ in
triennium remittunt, ut regnum q̃d
fraude quæſierant, indulgentia &
largitionibus confirmarent, quę res
ſuſpecta primo Otani uiro nobili, &
in coniectura ſagaciſſimo, fuit. Itaq;
per internuncios, quærit a filia, quę
inter regias Pallacas erat, an Cyri re
gis filius Rex eſſet. At illa nec ſe ſci-
re ipſam, ait, nec ex alia poſſe cognoſ
cere, quia ſingulæ ſeparatim reclu-
dantur. Tum pertractare dormien
te caput iubet. Nam Mago Camby
ſes

ſesaures utraſq; præciderat. Factus deinde per filiam certior ſine auribus eſſe Regem, optimatibus Perſarum rem indicat, & in cædem falſi Regis impulſos ſacramento religionis obſtringit. Septem tantum conſcij fuere huius coniurationis, qui ex continenti, ne dato in pœnitentiam ſpatio, res per quenquam narraretur, occultato ſub ueſte ferro ad regiam pergũt. Ibi obuijs interfectis, ad Magos peruenĩũt. Quibus ne ipſis quidem animus in auxilium ſuum defuit. Stricto ferro duos de coniuratis interficiunt. Ipſi tamen corripiuntur a pluribus, quorum alterum Gobryas amplexus Magum, cunctantibus ſocijs ne ipſum pro Mago transfoderent, quia res obſcuro loco gerebaẽ, uel per ſuum corpus adigi Mago

ferrum iussit. Fortuna tñ ita regente, illo incolumi Magus interficit. Occisis Magis, magna quidem gloria recuperati regni principum fuit, sed multo maior in eo, ꝙ cum de regno ambigerent, concordare potuerunt. Erant enim & uirtute & nobilitate ita pares, ut difficilem ex his populo electionem æqualitas faceret. Ipsi, igitur uiam inuenerunt, qua de se iudicium religioni & fortunæ committerent. Pacti inter se sunt, die statuta omnes equos ante regiam primo mane perducerẽt, & cuius equus ante solis ortum hinnitum primus edidisset, is Rex esset. Nam & solem unum Deum Persę esse credunt, & equos eidem Deo sacratos ferũt. Erat inter coniuratos Darius Hy-

staspis filius, cui de regno solicito e/
qui custos ait, si ea res uictoriam mo
raretur, nil negocij superesse, proin
de nocte equam, pridie ante consti/
tutã diem, ad eundem locum ducit,
ibiq; equæ equum admittit, ratus ex
uoluptate ueneris futurum, quod e/
uenit. Postera die cum ad statutam
horã omnes uenissent, Darij equus
cognito loco ex desiderio fœminæ
hinnitum statim edidit, & segnibus
alijs fœlix auspicium domino pri/
mus emisit. Tanta moderatio cæte/
ris fuit, ut audito auspicio confestim
equis desilierint, & Darium regem
salutarint. Populus quoq; uniuer
sus secutus iudiciũ principũ, eundẽ
constituit regem. Sic regnum Persa
rum septẽ nobilissimorũ uirtute quę
situm, tam leui momento in unũ col

latũ est. Incredibile prorsus pro tanta pietate gessisse eos, quod ut eriperent a Magis, mori non recusarent, quanq̃ præter formam uirtutemq; hoc imperio dignã & cognatio Dario iũcta cum pristinis regibus fuit.

DE HOC DARIO COpiosius scribit Herodotus in θαλείᾳ.

AVGVSTINVS, IN EPISTOLA AD EDICIAM, 199. DE ornatu Esther & coniugio eius cum Assuero.

QVOD etsi aliqua dura conditione cogereris, posses habere in superbo cultu cor humile. Nempe apud Patres, Esther illa Regina Deum timens, Deum colens, Deo subdita, marito Regi alienigenæ nõ eum

eundem ſecum colenti Deum, tamẽ ſubiecta ſeruiebat, quę cum extremo periculo, non ſuo tantum ſed etiam gentis ſuæ, quæ tunc erat populus Dei, Domino proſterneretur orando, in ipſa oratione ſua dixit, ſibi eſſe ornatum regium, ſicut pannum menſtrualem, et ita orantem confeſtim exaudiuit, qui cordis inſpector eam uerum dicere ſciuit. Et utiq; maritum habebat multarum mulierum uirum, et deorum alienorũ falſorumq; cultorem.

FINIS.



FRANCOFVRTI PETRVS
Brubachius excudebat Anno
M. D. XLIIII.